P1 11-308

D. VI. 76. retro.



Diſſertationum Eccleſiaſticarum

TRIGA:

De { Sanctitate Relativa. / Veneratione Sacra. / Sortitione & Alea.

Quibus accedunt

FRAGMENTA SACRA.

A

JOSEPHO MEDO, Anglo,
S. *T. B.* Scripta.

LONDINI,
Typis *Tho: Roycroft* : Impenſis *Jo. Martin*, *Jac. Alleſtrye*, & *Tim. Garthwait*, in Cœmiterio
D. Pauli, 1653.

Reverendo in Chriſto Patri & Domino, Lanceloto, Eccleſiæ Elienſis Epiſcopo;

Cultum meum teſtaturus,
Otij rationem redditurus,
De adventu gratulaturus,

Affero offeroq;.

Affero tibi, *Præſul reverende, levidenſe hoc munus; ſed jure quodammodo tuum; quod in ſacello tuo mihi primo conceptum, & ab inſtitutis in eo ad* Venerationem *ſacram: qualia ego* nec videram antea, nec cognoveram. *Quod tardius peperi, ejus mihi excuſatio duplex: & ab ingenio, & ab argumento. Illud mihi tardiuſculum eſt, & cunctabundum; nec in ullo (verum fatebor) expedi-*

tum: hoc, ut per ſe difficile, ita non nimis, quod ego viderim, aliorum veſtigiis tritum. Sed quid hinc excuſo moram? Revera deſtinaram tibi hoc munuſculi ad Autumnum: ſed inſolitus ex defluxu morbus per multos dies, & eos ipſos, quibus tu hic aderas, & faciem mihi totam deformavit, & conſilium. Quid facerem? Calendas Jani cogitabam, & ſtrenam eſſe placui. Ecce interim percrebuit adventus regii fama, menſe poſt futuri: eo diſtuli, ſed unius problematii fœnore auctum; cui occaſio mihi a Natalitiorum ſolennibus. Sed cum id quoq; fefellit temporis, huc diſtuli; nec ultra jam differo aut ipſum, aut me tibi conſecrare: Illud non, ut volui, bonum; me utinam talem, qualem tu velis.

JOSEPHUS MEDUS.

Diſſertatio

Diſſertatio prima.

De Sanctitate Relativâ.

CAP. I.

Sanctitatis triplex notio. Definitio Relativæ poſita & expoſita: præſertim à duplici ejus modo ex cauſſa duplici, Dominij & Præſentiæ.

D*E Relativâ Sanctitate* apud te dicturus ſum, Præſul Reverende, quam nolo rem novam putes, ſed veterem, appellatione nova. Nec injuſta mihi cauſſa ſic diſtinguendi. Ut ne ob ancipitem & incertum nimis verbi Sanctitatis uſum, mens in ipſo veſtibulo fluctuet; nec ſatis certo comprehendat futuri ſermonis metam. Nam cum Deum ſanctum dicimus, cum viros pios ſanctos, cum res etiam inanimas (ſaltem extra omnem animæ aut mentis reſpectum) hoc titulo inſignimus: quis non videt, in rebus tam diverſis diverſam eſſe Sanctitatis notionem? Diverſam dico; & quam triplici nota diſparaverim, in *Eſſentialem. Virtuoſam & Relativam.*

 Eſſen-

Eſſentiali ſanctitate Deus ipſe ſanctus eſt, cujus ſanctitas non eſt aliud ab Ipſo. Virtuoſa nos debemus, id eſt, pietate imbui; qualitate nimirum ſancta, quam virtutem viri pij, ſeu virtutem finieris religioſam: Cujuſmodi Græcis proprie Ὁσιότης dicitur, Latinis Sanctimonia. Atqui res inanimas, aut quaſi (ſecluſo nempe in Perſonis quod eſt perſonæ) has tandem appellamus ſanctas *Sanctitate Relativa*, quam definio *Peculiaritatem rei adverſus Deum, à certo præſentiæ ipſius, aut dominij modo.*

Relativam autem appello: qualitatis enim nihil habet; ſed pura puta Relatio eſt: cujus participes res Græci proprie ἱερὰς, Latini ſacras nominarint; nec facile in hac notione alternarunt, aut hi, aut illi. Peculiaritatem dixi; Deo nempe præeunte, & monſtrante. Peculiare recte dici, quodcunque ſanctum eſt. Audi ipſum ad Iſrae-
Exod.19. 5. litas. *Si ſedulo attendetis voci meæ, & ſervabitis fœdus meum; utique eritis mihi Peculium præ omnibus aliis populis, nam mea eſt tota terra: vos autem eritis mihi regnum Sacerdotale, & gens Sancta.* En gentem Iſraeliticam propterea ſanctam, quia Deo peculiaris præ omnibus aliis populis. Unde facile elicias definitionem gentis ſanctæ, & omnis ſanctitatis relativæ. Adde *adverſus Deum*: non enim, quod cuivis peculiare, id ſanctum eſt; ſed quod Deo. Nec dubites, an ad Deum aliquid ſit ejuſmodi. Nam quid ſi ipſius ſint omnia, quæ ſunt? An idcirco nihil habebit præ aliis peculiare? Apage argumentum: modo enim dixerat, *Terram totam*

totam ſuam eſſe, id eſt, omnes mundi incolas: & tamen populum Iſraeliticum peculiariter ſuum, præ omnibus terræ populis; non enim Peculiare hoc Deo adimit quidquam; imo nobis quædam, quippe quorum non, ut aliarum rerum, plenam & promiſcuam fecit poteſtatem. Poſtremo ſubjungo, a *certo præſentiæ ipſius, aut dominij modo*, quibus geminam ſanctitatis hujus efficientem deſignare volui; ſimulque innuere, duos inde oriri ſanctitatis modos, natura quidem diverſos, re ſæpenumero conjunctos, *Præſentiæ* & *Proprietatis*. Priorem evidenter arguit illud Dei ad Moſen e rubo dicentis, *Extrahe calceamenta tua de pedibus tuis; nam locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt*: Ideo ſcilicet, quod illic Deus viſibili ſpecie apparuit, & ſingulari modo præſentem ſeſe exhibuit. Alioquin, quid, quæſo, intererat inter iſtum locum, & reliqua illius deſerti loca? Sola præſentia Dei ſingularis hunc locum ſingularem fecerat: & adhuc facit omnem locum, ubicunque * habet ſingulariter. Ex. 3. 5.

Forte legendum, Habitat.

Poſterioris autem, quæ a proprietate, ſeu dominio eſt, ſanctitatis exempla ubique obvia ſunt, & vulgaria. Ita enim Decimæ dicuntur *Sanctæ*, quia Domini ſunt omnes decimæ, nempe jure & dominio ſingulari. Ita portiones illæ apud *Ezekielem* ex terra Iſraelitide Deo offerendæ, longæ vicies quinquies mille cubitos, latæ decies mille, Levitis & Sacerdotibus in jus poſſeſſionis tribuendæ, appellantur, *oblatio ſancta, ſanctum è terra, & res ſancta Jehovæ*. Quin & Corachi & ſociorum ejus impiiſſimorum hominum Thuribula

Lev. 27. 30.

Ezek. 45.

V. 1. 6.

la e medio incendio tolli jubet Deus, & ſacris ad-
V. 4. hiberi uſubus: *Quia*, inquit, *admoverunt illa coram Jehova, ideo ſancta ſunt*: Scilicet ad Sanctita-
V. 1. tis rationem ſufficit Deo admoveri, id eſt, dicari,
Num. 17. 3. offerri: Hinc enim Deo peculiare illud jus acquiritur, & ab eo rebus ſanctitatis hujus prærogativa. Sed utriuſque Modi, tam præſentiæ, quam dominij exemplum præſtat Sanctuarium Dei Hieroſolymis. Dominij, nam Dei domus dicebatur & Templum Domini. Præſentiæ, quod
1 Reg. 8. 2 Chron. v. 2. Dei *Habitaculum audiret*; quod ibi Deus cum hominibus colloqui, ibi homines Deum convenire, orare, audire, & de rebus obſcuris conſulere ſolebant. Ut taceam tot ſacrificia, tot rerum typicarum myſteria, totidem fuiſſe præſentis Dei ſymbola.

CAP. II.

Diviſa deinde ex ſubjectis in tres ſpecies: Perſonarum, Rerum, & Circumſtantium res & perſonas; id eſt locorum & Temporum. Ordo de iſtis dicendorum, & primo aptatur ſingulis efficiens Sanctitatis gemina, & duo quos inde elicui modos. Ratio Templi in quibus ſita.

CUm vero, ut modo innui, duo hi Sanctitatis modi, ſeu cauſſæ aliquando in unum coeant ſubjectum: melius, & ad diſtinctam explicationem accommodatius fecerimus, ſi Relativæ ſanctitatis ſpecies, non ex iſtis, ſed ex

ex rerum ſubjectarum varietate putaverimus. Atque ita eam triplicem comperiemus; pro tribus rerum ſanctarum generibus: aut Perſonarum aut rerum, aut eorum, quæ circumſtant Res & Perſonas, quæ omnia explicatum & adſertum ibi breviter, & tanquam pedem in ſingulis ponens: quia vulgo, aut non advertuntur, aut plane tolluntur hæc diſcrimina. Primo autem dicam, quid in ſingulis hiſce efficiat ſanctitatem. Deinde monſtrabo, non tantum antiquitus ſub lege (quod a nemine negatur:) Sed & hodie in Evangelio, (de quo a multis ambigitur) reperiri Res, ut olim, ſanctas: & quas numeravi rerum ſanctarum differentias. Poſtremo, viam ut aperiam, & muniam ijs, quæ poſtea mihi de Veneratione ſunt dicenda: ex proprietatibus rerum ſanctarum præcipuas, & ὁσιωδεστάτας, ſeligam duas, quas face explicationis meæ illuſtrem.

De primo igitur ut dicam; In Rebus & Perſonis omnis ſanctitas a dominio eſt. Utraque enim dicuntur ſancta, quod ipſa Dei ſunt; non quia Deus in ipſis. Ad Circumſtantias me vocas? Eas duplices intelligo, locum & tempus: ex quibus Tempus itidem ſanctum eſt ob Dei proprietatem; locus autem ob præſentiæ modum. Locus enim ſacer Templum eſt; cui agnata eſt adeo peculiaritas præſentiæ; ut hinc vel Cælum ipſum dicatur Templum, quod in eo Deus peculiariter reſideat. Ita *Pſal.* 11. 4. *Jehova in Templo ſancto ſuo, Jehova cujus ſolium eſt in cælis*: Et *Jonæ* 2. 8. *Cum obrueretur in me anima mea*, (Jonas loquitur) *Jehovæ recordatus ſum; pervenitque ad te oratio*

oratio mea in templum ſanctum tuum, id eſt, in Cælum. Quin & Sacerdotibus benedicentibus populo, 2 *Chron.* 30. 27. dicitur, *Perveniſſe orationem eorum in habitaculum ſanctum illius in Cælum.* Imo etiam Romanis, notum eſt communem fuiſſe & Ædi ſacræ, & Cælo, appellationem Templi. Hæc autem omnia eouſque volo intelligi, cum in propria ratione ſingula conſideremus: neque perſonas, Res, Loca, Tempora hic ſpectemus, ultra rationes perſonarum, rerum, locorum, temporum.

Interdum enim fit, ut res ſubjectæ non una ratione dicantur ſanctæ: quia ratio earum non eſt una: ſcilicet loca, rerum, & perſonæ, locorum conditiones induunt: Ut pro geminæ conditionis reſpectu congeminetur uoque ratio ſanctitatis. Templum mihi cogita, illud enim & locus ſanctus eſt, ob divinæ præſentiæ modum; & res ſancta, propter ædificium ipſum Deo conſecratum. Sed cum *Divus Paulus* perſonis Fidelium loci rationem affingit, & Templis aſſimilat: tum perſonas, & loca, & res fieri cernis, ſed ἀναλόγως, quamvis pulchre & mirifice huc quadrat utraque Templi ratio, tam præſentiæ, quam Dominij. Præſentiæ; vos enim, inquit, *Eſtis Templum Dei viventis; ſicut dixit Deus: Habitabo in ijs, & inambulabo.* Deinde Dominij; ſequitur enim, *Et ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Eodem per omnia ſpectat alterum illud ejuſdem, *An ignoratis corpus veſtrum eſſe templum Spiritus ſancti, qui eſt in vobis,* (hoc præſentiæ eſt:) *neque vos eſſe veſtri juris?* (hoc Dominij eſt.)

CAP.

CAP. III.

Oſtenſum, hæc rerum ſanctarum diſcrimina, non tantum ſub Lege fuiſſe olim, ſed & hodie ſub Evangelio. Illis Naziræos, Levitas; Oblationes, Sabbata, &c. *Templum: nobis Clerum noſtrum, noſtras Decimas,* &c. *Eccleſias, Dies dominicos.*

SED de ſanctitatis Efficiente ſatis: jam porro videamus de Exiſtentia; quæ ſecunda propoſiti mei pars: & cui fidem videor mihi facturus ex ſingularum ſpecierum exemplis, tam in Lege, quam in Evangelio. In lege Perſonæ ſancti erant, tum Ordinarij, Levitæ; tum extraordinarij, Naziræi: hi pro tempore Deo ſeparati, ejuſque facti. Omnibus enim diebus *Naziræatus ſui*, inquit Dominus ad Moſen, *Naziræus Sanctus eſt Jehovæ.* Iſti vero in perpetuum Deo addicti, eique manicipio dati. *Separabis*, inquit, *Levitas e medio filiorum Iſraelis, ut ſint mei Levitæ.* Audis hic jus Dei peculiare? audi etiam ſanctitatem. *Quo die*, inquit, *percuſſi omne primogenitum in terra Ægypti*, ſanctificavi *illa mihi: aſſumpſi autem Levitas pro omni primogenito in filijs Iſraelis.* Et *Ezræ* 8. 28. *Vos*, inquit *Eſra* (Levitas autem alloquitur, non tantum Sacerdotes) *Vos*, inquit, *eſtis ſancti Jehovæ, & hæc inſtrumenta ſunt ſancta*, &c. quod ne ſuſpiceris ad ſolos Sacerdotes dictum, parem ſcias adfuiſſe numerum Levitarum & Sacerdotum, ex utroque ordine duodecim, *V.* 24. Porro, Res ſanctæ erant, quas ſupra attuli,

Decimæ,

Decimæ, item Primitiæ & reliqua τὰ θυσιαστηρίου. Loca ſancta etiam quæ ibi dixi ſancta. Tempora ſancta erant dierum & annorum hebdomadæ, & reliqua feſta legalia. *Ex.* 31. *Obſervabitis Sabbatum, quia res ſancta erit vobis. Sex diebus fiet opus; at die quovis ſeptimo Sabbatum requies eſt, res ſancta Jehovæ.* Et de alijs Feſtis, *Lev.* 23. 37. *Iſtæ ſunt ſolemnitatis Jehovæ, quibus convocabitis eos, convocationes ſanctæ ad offerendum igne abſumenda Jehovæ, Holocauſtum & Munus.*

Atque ita in Lege rem claram feci. In Evangelio autem quid? Nihilne hic ſimile deprehendemus? Quid igitur, ut a Perſonis incipiam, Miniſtri Evangelici, & omnes (*Chryſoſtomi* dictione utar) ἱερατικοῦ Συστήματος? Nonne homines adeo Deo ſancti, adeo peculiares, ut Dei *SORS* dicerentur, & appellationem τοῦ Κλήρου, ſpeciali jure uſurpaverint? quid in communi ſermone frequentius & uſitatius, quam ut filium Deo dicaturum affirmet, qui ſacro miniſterio deſtinat? *Gregorium* ecce adi & audi, *Nazianzenum* illum, quem mater, nondum natum Deo devoverat, Ὥσπερ, inquit, ἀπαρχὰς ἁλωνός τε καὶ ληνοῦ, οὕτω καὶ τέκνων τοὺς ἀληθῶς φιλοτέκνους ἀνατιθέναι Θεῷ δίκαιόν τε καὶ ὅσιον, ὅτι παρ' αὐτοῦ καὶ ἡμεῖς καὶ τὰ ἡμέτερα.

Sed a perſonis ſanctis ad Res tranſeo, cujuſmodi etiam in Evangelio Decimas quidni dicerem? Dei enim certe ſunt; ſeu ipſe ſuas fecit, ſeu nos fecimus vovendo. Id ipſum cenſeo de rebus

bus quibuſcunque alijs Deo conſecratis, & in ſacrum uſum traditis. Aut enim nos Deo nihil dicare, nihil cuipiam donare poſſumus, quod Chriſtus tanquam ſibi factum imputet, aut ſit in *odorem bonæ fragrantiæ, & victimam Deo acceptam*: Aut quæcunque ita dicamus, offerimus, ea ſancta facimus, quia Dei facimus jure peculiari.

Porro Loca ſancta quidni affirmarim Eccleſias, ſeu Templa Chriſtianorum? Cum in illis & nos convenire Deum ſolemus, & Deus nos ore miniſterij ſacri affari: Cum ipſe Chriſtus pollicetur, ubi duo aut tres congregabuntur in nomine ſuo, ibi ſe affore in medio eorum. Et vero, quod longe maximum eſt, in affabili modo adeſt in myſtico Panis & vini Sacramento. Haud enim verebor dicere, in ſacroſancta Euchariſtia non minus peculiariter & viſibiliter nobis adeſſe Deum, quam *Moſi* in ardenti rubo: nec Templum Hieroſolymitanum magis Chriſti corpus repræſentaſſe, quam hunc panem nobis exhibere. Locus igitur rubo circumpoſitus ſanctus erat; & non erat ſacra menſa? Templum Judaicum; & non noſtra Euchariſteria? Hoc enim nomine cur non appellarim τῆς Ευχαριςίας ædem, quam ſimili ratione alij Προσευκτήριον dixere, a precum publicarum uſu? Et quid, ſi non jugiter ibi exhibeatur hoc Sacramentum? Locus tamen ſanctus erit, ubi ſolet exhiberi. Nam Filiæ *Pharaonis* fas non erat habitare in domo *Davidis*, quia, ut dicitur, *2 Chron.* 8. 23. *Sancta ſunt iſta, in quæ ingreſſa eſt Arca Jehovæ.* Annon multo magis noſtra Eucha-

riſteria ſancta, ubi vera Jehovæ arca exhibetur, cujus illa tantum umbra?

Atque ita jam ſolum mihi reſtat Tempus ſacrum, de quo multa quid dicam? faventes hic habeo multos. Quis enim fere diem ſanctum eſſe negat e ſeptenis unum, eumq; Apoſtolica inſtitutione ſeptimanæ primum? De quo *Igna.* ad *Magneſ.* Πᾶς ὁ φιλόχριστος ἑορταζέτω τὴν Κυριακὴν τὴν ἀναστάσιμον, τὴν βασιλίδα, τὴν ὑπάτην τῶν ἡμερῶν. Et certe hoc quoque neceſſe eſt facere eos, qui minimum in hoc negotio fatebuntur; ſi Eccleſiæ fas ſit, alios dies Deo feſtos inſtituere, eos itidem ſanctos fore dies. Quod ut una cum reliquis, quæ de triplici hoc rerum ſanctarum diſcrimine, uno quaſi ictu & opera conficiam, totum ecce negotium unico epicheiremate evincam.

Ignat. Epiſtola ad Magneſianos paulo poſt medium. pag. 31.

Si aliqui Perſonæ magis Dei ſint, quam omnes: ſi aliquæ res; ſi ali ua honorum noſtrorum pars magis ejuſdem ſit, aut ſaltem eſſe poſſit, quam omnes: ſi aliqua loca, aut Tempora magis Deo peculiaria ſint, quam omnia: aut vere hæc omnia *Sancta* dixero, aut Sanctitatem nondum vere definivi.

Summa dictorum.

C A P.

CAP. IV.

Tranſitum ad objectiones: Et primo aſſeruntur Perſonæ ſanctæ inter Chriſtianos; & nomen Cleri: Hunc, ut & Levitas olim, Primitias eſſe, quas Eccleſia ex ſeipſa offert Deo.

QUis jam hanc viam non planam & tutam judicaret? Attamen vada, neſcio quæ, reperiſſe videntur Doctores (hic quidem nimis) novi, ad quæ & ipſi obhæreant, & aliorum illidant ingenia. Primo enim, de perſonis aiunt, ſublatum nunc eſſe diſcrimen illud, quod in lege viguit, omnes Chriſtianos eſſe ſanctos, omnes Sacerdotes; ideoque ferendum non eſſe eorum ſupercilium, qui Cleri & Laicorum diſcrimen invexerunt, quaſi non tota Eccleſia eſſet Dei hæreditas: aut quaſi *Petrus* Presbyteros non admonuiſſet μὴ κατακυριεύειν τῶν κλήρων, id eſt τοῦ ἐν αὐτοῖς ποιμνίου τοῦ Θεοῦ, ut ipſe poſtea loquitur; plebem innuens, non Preſbyterium; gregem ipſum, non Paſtores gregis.

Verum quidem eſt, nec nos inficias imus, Omnes Chriſtianos eſſe ſanctos, omnes Sacerdotes: totam Eccleſiam eſſe hæreditatem, & ſortem omnipotentis Dei. At ſodes, nonne Eccleſia etiam Judaica erat ſancta? Nonne tota Iſraelitica gens *regale ſacerdotium, & peculium Dei?* *Vos*, inquit, eritis mihi *regnum Sacerdotale*, & gens *Sancta*. Et Ex. 19.
alibi, *Vos eritis mihi Sancti; quia ego ſanctus Jehova;*

va, qui diſcrevi vos a populis, ut ſitis mei: Quomodo igitur ratio hæc Miniſtris Evangelij omnem ſanctitatem privatam tollit, Levitis non tollit ſuam? Mirum forſan dixero, ſed verum: non nuper in nos inventum, aut jactum hoc telum: antiqua eſſe arma, quibus freti Corach, ejuſque conſortes *Dathan* & *Abiram* in *Moſen* inſurrexerunt & *Aharonem.* Quid enim illi? *Totus*, inquiunt, *hic cœtus, omnes hi ſancti ſunt, & inter eos eſt Jehova: quare ergo effertis vos ſuper congregationem Jehovæ?* Profecto non tam ovum ovo ſimile, quam horum ſermo noſtrorum argumento. Quid autem hic *Moſes* obtenderet, niſi idem plane quod nos debemus? Populum Iſraeliticum ſanctum inter populos, tribum Leviticam inter tribus: quia ex populis peculiariter elegerat Deus hunc populum; ex hujus populi tribubus hanc tribum. Ita nos, Eccleſiæ cœtum ſolum eſſe ſanctum inter omnes mundi cœtus; at in hoc nihilominus cœtu, præ reliquis ordinibus omnibus peculiariter ſanctos dicier qui Dei tractant myſteria. Hic enim cœtus Dei cœtus eſt præ alijs cœtubus; hic ordo præ alijs in hoc cœtu ordinibus.

Aliud enimvero eſt, eſſe gentem ſanctam; quia hoc dicitur reſpectu aliarum gentium: aliud eſſe tribum ſanctam; hoc enim dicitur reſpectu aliarum tribuum. Item aliud eſt, eſſe cœtum ſanctum; quippe hoc dicitur reſpectu aliorum in mundo cœtuum: aliud, eſſe ordinem ſanctum, nam hoc dicitur reſpectu aliorum ordinum. Priori & communi ſanctitate non diſtat *Aharon* a reliquo populo, nec Preſbyter Chriſtianus a fratribus

tribus ſuis: at altera illa tantùm fere uterque ab utroque, quantum Judæi ab incircumciſis, Chriſtiani a non Chriſtianis. Quod ne ſiniſtre capias, atque aliorſum a meo ſenſu; de relativa ſanctitate loqui me memento, non de vitæ ſanctimonia, de ſanctitate qua nos ſumus Dei Sors, non qua Deus in noſtra ſorte.

Denique tota terra Iſraelitica ſancta erat, & peculiaris Deo præ omnibus alijs terris: ideoque mancipio vendi non poterat, aut in perpetuum alienari. Et nihilominus in hac ipſa terra fundi Deo conſecrati adeo privato jure ſancti erant, ut horum reſpectu reliqui omnes profani haberentur. Quod de tota terra dictum, id tu de tota gente puta: quod de fundis ex hac terra ſanctis, id tu de Levitica tribu ex hac gente. Certe qui omnem relationem noverit eſſe totam in reſpectu poſitam, & pro mutato reſpectu mutare naturam: qui abſolutum novit a comparate dicto interſtinguere, is mentem meam capiet, & plene intellexerit quæ velim. Nec præcipuum hunc ad Deum reſpectum negaverit; nec dignitatem hanc Miniſterij ſacri indigne tulerit, qui ex Apocalypſi adverterit, Eccleſias quidem eſſe Candelabra, in quorum medio eſt Chriſtus; at Miniſtros Eccleſiarum eſſe Stellas, quæ in ipſa dextra Chriſti.

Clara ſunt hæc: unum tamen eſt quod addam, non ut lucem his præferam (abunde jam feci) ſed ut ſplendorem. Ut igitur populus Iſraeliticus *Oblatio* erant, *& Primitiæ*, quas Deus ſibi fecit ex omnibus mundi populis; tribus autem Levi-

tica *Oblatio*, quam populus hic ex ſeipſis fecit Deo; illi decimis ſimiles, hi decimis decimarum: idem plane hodie fit. Eccleſia Chriſtiana & catholica primitiæ ſunt, quas Deus ex ſingulis gentibus, ſtatubus & ordinibus hominum ſibi elegit: *Clerus oblatio eſt*, quam Eccleſia ex ſeipſa præſtat Deo. Id ne dicere tantum videar, utrumque firmabo tibi ex ſacris literis. Ac primo de Iſraelitis, quod quaſi Primitiæ erant Deo, audi ipſum ad *Jeremiam* dicentem, *Sanctum fuiſſe Iſraelem Jehovæ, Primitias proventus ejus: quotquot comedebant illum reos fuiſſe, malum eveniſſe iis.* Et de *Levitis*, quod *oblatio* erant ex filijs Iſraelis, ex 8. *Cap. Num.* oſtendo; ubi Deus ad *Moſen*, *Admovebis Levitas coram Jehova, & nitentur filij Iſraelis manibus ſuis ſuper Levitas. Ita offeret Aharon Levitas* OBLATIONEM *coram Jehova e filijs Iſraelis; ut ſint ad excercendum miniſterium coram Jehova.* Item, *Separabis Levitas e medio filiorum Iſraelis, ut ſint mei Levitæ.* Et paulo poſt, *Nam omnino donati ſunt mihi e medio filiorum Iſraelis.* Similiter de Eccleſia Chriſtiana (ut hanc quoque Spartam adornem) *Jacobus*, *ipſam* nempe à Deo progenitam ſermone veritatis εἰς τὸ εἶναι ΑΠΑΡΧΗΝ τινα τῶν αὐτοῦ κτισμάτων.

Item *Johannes Apoc.* 14. de magno illo Agni comitatu ſtante ſuper montem *Sion*, ad centum quadraginta quatuor millia, habentia nomen Agni, & nomen Patris ejus, ſcriptum in frontibus ſuis: de hoc, inquam, cœtu, cujus deſcriptio in Eccleſiam planiſſime competit, auditur vox de

Cœlo

Cœlo dicentium, Οὗτοι ἠγοράσθησαν ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, ΑΠΑΡΧΗ τῷ Θεῷ, καὶ τῷ Ἀρνίῳ; hi empti ſunt ex Hominibus, *Primitiæ* Deo & Agno. Hic tacitus mihi intervenis, & video, inquis, Eccleſiam quidem Dei, Primitias eſſe Deo ſacras: at quo tandem teſtimonio confirmatum dabis, Clerum, quem vocas, Evangelicum, alias eſſe Chriſto, & Deo primitias ex iſtis primitijs?

Nomen quidem ipſum, ut verum fatear, ſeu *Oblationis*, ſeu *Primitiarum* non memini uſpiam in ſacris literis noſtro clero datum. At quid tum poſtea? Nonne ſatis eſt, ſi rem? Hanc autem ſi cures, aut quæras; quid, obſecro, magnum de Levitis dictum in lege, quod non de Diſcipulis ſuis dixit Chriſtus in Evangelio? Nam *Johan.* 17. *Manifeſtum*, inquit, *feci nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi ex mundo. TUI erant, & mihi eos DEDISTI.* Item, *Ego pro ijs rogo; non pro mundo, ſed pro ijs quos DEDISTI mihi, ut ſint unum, prout nos.* Age jam, conferamus invicem Levitas, & Apoſtolos Chriſti; legis Miniſtros, & miniſtros Evangelij.

De Levitis dictum in lege, *Separatos eſſe e medio filiorum Iſraelis, ut ſint Dei Levitæ.* Idem de Apoſtolis in Evangelio, eſſe διδομένους ἐκ τοῦ κόσμου, eſſe homines Dei: *Tui enim ſunt*, id eſt, Patris, ait Chriſtus ad Patrem. De Levitis dictum in lege, *dono eos datos Aharoni*, ad miniſterium Tabernaculi. Idem de Diſcipulis Chriſti in Evangelio, dono eſſe datos Chriſto, id eſt, vero *Aharoni*, ad miniſterium Evangelij. *Mihi*, inquit, *eos dediſti*,

diſti, & dediſti ex mundo; & rogo pro ijs, quos dediſti mihi.

At, inquis, non hæc de Apoſtolis tantum Chriſtus; imo de omnibus in univerſum electis vult intelligi, eos ſcilicet fuiſſe Patris, eos ſibi dediſſe patrem. Itane amabo? Age igitur, etiamne in Electos omnes & illud congruit, quod ait, *Cuſtodivi eos quos dediſti mihi, & nemo ex ijs periit, niſi filius iſte perditionis: ut Scriptura impleretur?* Etiamne illud, *Sicut me miſiſti in mundum, ita & ego miſi eos in mundum?* Abſit, ut ego credam, aut perire poſſe electos, aut omnes fideles eodem a Chriſto miſſos, quo ipſe a patre eſt modo; quin potius dixerim, non hic notari electos ad vitam, ſed ſelectos ad miniſterium vitæ: idem hic eſſe Datos Chriſto, atque τὸν Κλῆρον, ſeu Sortem Chriſti. Idem Tui erant, quod clerus tuus erant. Addo amplius, Mundum hic non dici Reproborum mundum; nec eos qui non ſunt ex electorum, ſed qui non ex ſelectorum numero. Imo eandem prorſus eſſe hic notionem Mundanorum, atque hodie Laicorum. Antitheſin enim vides? *Non*, inquit, *pro mundo rogo; ſed pro ijs quos dediſti mihi.* Antitheſin hic nullo pacto expedies, niſi Mundum definiveris Τοὺς μὴ Χριστῷ διδομένους. Quid igitur, inquies, non pro Laicis orat Chriſtus?

Imo orat; ſed hic non orat: imo cavit ne putetur orare. Quos enim pater ſibi peculiares fecerat, pro his & ipſe voluit orare peculiariter. Poſtea vero orat etiam pro reliquis. *Non tantum*, inquit,

inquit, *pro iſtis rogo; ſed & pro ijs, qui credituri ſunt in me per ſermonem eorum:* Alij πιςευόντων legunt: inter eos *Syrus.* Ut ſit, qui jam credunt, non credituri tantum. Utrumcunque dixit Chriſtus, certe utroſque intellexit, & qui tunc erant, & qui poſtea futuri erant Chriſtiani.

CAP. V.

Res etiam ſanctæ vindicatæ contra objectionem de Typo. Non enim omnes oblationes fuiſſe typicas. Id ut oſtendatur, de ſpeciebus earum dictum, & primo de rebus Sanctis ſanctarum, ſeu קרבנים. *Eucharisticorum uſus idem, qui noſtræ Euchariſtiæ.*

ITa ſuam Perſonis ſanctitatem vindicavi: ſequitur, ut Rebus etiam ſuam. Nam & in hoc ſcirpo nodus quæritur, quem facile ibo expeditum. Oblationes enim, de quibus eſt ea quam Rebus damus ſanctitatem, ad Chriſtum aiunt præiviſſe olim; & vel ipſum præfiguraſſe, vel eorum aliquid, quæ ad ipſum. Cum igitur Typi jam ceſſarint, certe & oblationes; ſi vero iſtæ, unde adhuc rerum ſanctarum & non ſanctarum diſcrimina? Nodum vides, ſed minime Gordium; facile enim diſſolvemus, ſi dicamus, Omnes in lege oblationes ejuſdem non fuiſſe commatis; non eodem intendiſſe omnes: aliquas quidem umbras futurorum fuiſſe; omnes non fuiſſe. Quod ut clare demonſtrem, vela mihi neceſſario pan-

 denda,

denda, & altius immittenda navis in hunc rerum ſanctarum, ut vere dicam, Oceanum: ut de generibus hiſce poſſim, & quam innuo in illis, naturæ & finium diverſitate aliquid promere magis diſerte & exſerte, εἰ δύναμαι τελέσαι καὶ εἰ τετελεσμένον ἔσται. Omnia in lege Oblata, quæ generali nomine משאת dixerim, aut ſimpliciter Sancta erant, aut *Sancta Sanctorum*: illa תרומות id eſt, *Levata*, ſola & ubique appellata: hæc ſimili privilegio קרבנים Illa quidem ſimpliciter ſancta, quod Deo ſimpliciter erant dicata: hæc ſancta ſanctorum, quod, non ſolum, ut illa, ſancta erant; ſed etiam rerum ſanctarum umbræ: Unde prerogativam præ alijs ſunt adepta; ut etiam res alias contactu ſolo efficerent ſanctas, *Exod.* 30. 29. & 29. 37. in illius Sancti myſterium, qui fidei contactu nos, & omnia noſtra ſanctificat, *Heb.* 10. *v.* 10. 14.

Eſt autem *Sanctum Sanctorum*, ſeu קרבן *primarium*, aut *Secundarium*. Primarium appello אשה oblata ignita, ſeu Sacrificia. Secundarium, utenſilia Sacrificiorum.

Corban primarium, ſeu Sacrificium definio, *Oblatum ignitum, figurandæ ſatisfactioni Chriſti olim pro nobis præſtandæ.* Atque ideo fidelis Judæus Corban ſuum Deo ſiſtebat, & manum imponebat: quaſi Chriſtum futurum Deo ſiſtens, & fidei manu apprehendens. Solus autem Sacerdos offerebat, & ſi quid ab igne erat reliquum, ſolus abſumebat: idque in loco ſancto: ut nimirum ſacrificio in ſacerdotem verſo, præmonſtraret, Eundem nobis

futu-

futurum & Sacerdotem, & ſacrificium, in corpore ſacratiſſimo.

Corban iterum erat זבח aut מנחה. Zebach erat Corban, quo animalium mactatione figurabatur expiatio peccatorum Chriſti occidione futura. Expiatio enim noſtra non niſi morte & ſanguinis effuſione peragenda erat: idcirco ijs rebus hic in typum opus, quæ & mori poterant, & ſanguinem profundere: id eſt animalibus. Mincha autem erat Corban τῷ Zebach fere adjunctum, in quo rerum inanimarum ſuffimenta umbræ erant obedientiæ Chriſti, pro noſtra Deo acceptandæ. Obedientiam hic Activam intelligo; qua legem pro nobis implevit, non moriendo, ſed ſancte vivendo: unde hic animalibus non erat opus; ſed edulijs & poculentis. Chriſti enim obedientia & meritum, cibus noſter eſt, quo reficitur & conſervatur vita ſecundum Chriſtum. Dixi autem Mincham τῷ Zebach fere adjunctam; non ſemper: nam ad Mincham etiam refero Thymiama ſacrum, quod intra velum erat, figurabatque jugem illum meriti & juſtitiæ ſuffitum, quem Chriſtus Patri præſentat intra velum: id eſt, in Cælo. Sacrarium enim Cæli typus; & quæ in eo, eorum, quæ Chriſtus in Cælo, *Heb.* 9. 24.

Porro utrumque, tam Zebach, quam Mincha, aut *Simplex* erat, aut *Varium*. Simplex voco, quod totum Sanctum ſanctorum, totum adumbrabat ſatisfactionem Chriſti, eratque vel pro internis peccatis, vel pro externis. Pro internis, id eſt cordis & affectuum peccatis, concupiſcentijs &

 cogita-

cogitationibus malis erat עולה ſeu holocauſtum: pro externis אשם & חטאה: hoc pro peccatis, illud pro delictis: ſeu potuis אשם pro peccatis primæ tabulæ, חטאה pro ſecundæ. Cumque interna peccata quotidiana ſint, & jugia, omnibus, ut ut ſanctiſſimis viris vel invitis obrepentia; ideo Holocauſtum offerebatur jugiter: nec tamen ullum חטאה aut אשם ſine Holocauſto: ad ſignificandum Externa opera expiari & purificari non poſſe, niſi & fons, a quo mali hi malorum operum rivuli, expurgetur.

Varium jam voco Sacrificium, quod integre non erat Sanctum Sanctorum, nec totum adumbrandæ ſatisfactioni Chriſti: Cujuſmodi fuit שלמים ſacrificium pacificorum. Hoc, ut rem clarius intelligas, definio *Corban*, in quo pars ſacrificij, ut in reliquis, adolebatur: pars a fideli populo abſumebatur: ut ipſis ſacrificium ſuum quaſi factis, in ſymbolum eſſet communionis corporis Chriſti, veri nempe ſacrificii. Hic quod populus comedebat, Sanctum ſanctorum nec erat, nec nec uſpiam dicitur; ſed ſanctum: nec proprie ſacrificium erat, ſed myſterium communionis ſacrificij: ejus nimirum quod adolebatur, & vere erat ſacrificium. Merito igitur Pacis dicebatur, cum pacis & unionis eſſet ſymbolum. Unde ex Græcis nominibus accommodatius eſt τοῦ Σωτηρίου, quam Ευχαριςικοῦ. quippe illud rem ipſam propius, hoc circumſtantiam potius exhibet, & appendcem: huic e-

nim

nim ſacrificio adnexum erat omne genus תרומה ſeu oblatio εἰς εὐχαριστίαν, Primitæ Decimæ, &c. Quinimo in hujus ſacrificij locum (erat enim & Paſcha ſacrificij Euchariſtici ſpecies, & *Corban* audit, *Num.* 9.) in hujus, inquam, locum ſucceſſit Chriſtianorum Euchariſtia: in qua, ut illis Typi, ita nobis Antitypi vera eſt communio. Quin & ejuſmodi fere erant Gentilium ſacrificia. Ideo *Paulus*, 1 *Cor.* 10. tria hæc ita inter ſe confert; ut in ſingulis ouſtendat κοινωνία quandam fieri comedentibus. Judæis quidem Altaris, *v.* 18. id eſt, Typi: nobis corporis & ſanguinis Chriſti, *v.* 16. id eſt Antitypi: Gentilibus vero Dæmoniorum, *v.* 20, 21. Imo hinc (ut hoc quoque addam) factum eſt, ut veteres Chriſtiani ſuam quoque Euchariſtiam ad veteris Euchariſtici formam expreſſerint: quod ſingillatim oſtendere non fert ratio inſtituti.

De Sanctis ſanctorum adhuc reſtant, quæ appellavi *Secundaria*: ut quæ fuerint ad uſum ſacrificiorum ordinata, aut typum futurorum gerentia, non niſi reſpectu ad illa. Hujuſmodi enim Sancta ſanctorum dico: nam ita audiunt, *Exod.* 30. ab 26. ad 29. & *Num.* 4. 4. 19. Arca teſtimonij, altare ſuffitus, Menſa, Lychnuchus, altare Holocauſti, & ſingula ſingulorum inſtrumenta: item ſacrarium ipſum Sanctum ſanctorum dici tralatitium eſt. Et quidni Sacerdotes ipſos dicerem Sanctos ſanctorum; Levitas tantummodo ſanctos? Res enim ipſa in illos congruit, quod typi eſſent, *Heb.* 8. 5. & eodem

unguento ungebantur ad ſanctitatem, quo *Utenſilia* ſancta ſanctorum, *Ex.* 30. 30. Ipſi quinetiam ſanctificabant populum; utpote *Sanctificatoris* illius Typi, qui nos, & omnia noſtra ſanctificat.

Levitæ autem quantum diſtant? quibus fas non erat vel inſpicere res ſanctas ſanctarum; nedum attingere, *Num.* 4. 15. 19. 20. Sed de Perſonis, ut videtur, non obtinuit iſtius appellationis uſus, ſed de rebus duntaxat: nec nobis jam de Perſonis ſermo; ſed de rebus *Secundario* ſanctis ſanctarum: quas ut altero etiam nomine ſacrificijs communi, id eſt, Corbanim appellarim; in cauſsà mihi præcipue fuit analogia, ſed & alterius cognomenti communitas. Non enim hic æque atque illic exemplis abundo: unum aut alterum duntaxat videor obſervaſſe: ut *Num.* 17. de Thuribulis Corachi & Sociorum ejus; quæ ſacra eſſe iuſſit Deus; & Laminas ex ijs altari obduci, quia inquit הקריבום admoverunt, vel in Corban obtulerunt coram Jehova: hic enim קרבן audio in verbo הקריבום Item de lignis ad uſum Sacrificiorum, *Nehem.* 10. 35. & 13. 31. ubi קרבן העצים lego, id eſt, Corban lignorum.

CAP.

CAP. VI.

Deinde de Rebus ſimpliciter ſanctis diſſertum, quotuplices ea, & quorſum. Eas תרומות *nuncupatas, & ſingulas, & ſolas; quin &* תנופות *præter hæc nominis, etiam alia oſtenſa* Κειτήεια *rerum ſimpliciter, & non typice ſanctarum.*

SED res ſanctas ſanctarum, & Corbanim, ſatis jam pro inſtituto meo diſtinxi, & ordinavi: venio ad res Simpliciter ſanctas, quas תרומות innui nominatas; & addo nunc, interdum תנופות.

Eſt autem *Teruma Oblatio Deo univerſalis dominij recognoſcendi, & gratitudinis ergo præſtanda:* vel, ut brevius dicam, *Oblatio in laudem & honorem Deo.* Hinc *Levit.* 19. dicitur קדש הלולים ſanctum laudationum. Hinc illæ *Davidis* ad Deum voces, 1 *Chron.* 29. *v.* 11. cum ipſe & principes Iſraelis ad Templi ſtructuram obtuliſſent ingentem auri & argenti Terumam; *Tua eſt,* inquit, *O Jehova, magnitudo, & potentia, & gloria, & æternitas, ac majeſtas; imo omnia in Cælo & Terra, tuum eſt, Jehova, regnum; ut qui te extollis ſuper omnia in caput.* —— *Itaque nunc, Deus noſter, celebramus & laudamus* (nempe hac Teruma) *nomen tuum glorioſum.* —— *ex te* [enim] *ſunt omnia, & a manu tua reddimus tibi.* *Teruma.*

Eſt autem Teruma omnis { menſurata vel immenſurata.

Menſu-

Menſuratam voco Decimam, Oblationem nempe rei & menſuræ certæ.

Immenſurata iterum eſt vel { imperata, vel Spontanea.

Imperata Generalis erat, vel Specialis. Generalem, Primitias dico, & primos fructus. Specialem, Armi & pectoris oblatum, ſeu mavis ablatum ex ſacrificijs pacificorum, & unius panis ex Mincha eorundem, *Levit.* 7. 4. quæ Græcis appoſite ἀφαιρέματα, & ἀφορίσματα dicuntur. Theruma quoque ſpontanea aut ſolennior erat, aut minus ſolennis. Solemniorem appello, quæ Hebræis eſt תרומה גדלה: & oblatio erat quidem ordinaria, imperatam vero non puto, ſaltem non ſimpliciter & abſolute. Spontaneas oblationes minus ſolennes intelligo, quæ ita ordinariæ non erant; ut de fundis, de auro, *&c.* de ſupellectile, de utenſilibus allijs, ſeu voti, ſeu gratitudinis, ſeu cujuſvis neceſſitatis cauſſa.

Verum ex iſtis ſolam Decimam inſtituit Deus, ad juſtum & neceſſarium ſibi, & Miniſtris ſuis *honorarium*, tam dantis, quam accipientis reſpectu; ideoque omnibus Levitis voluit eſſe communem, & tam re, quam menſura certam & determinatam. Ubi enim finis neceſſarius, ibi media indeterminata eſſe non oportet. Primitiæ autem, & Aphæremata, non erant tam ſufficienter & honeſte, quam commode alendo: qui finis, ut minus neceſſarius, ita media habuit minus determinata; rei quidem utcunque certæ, menſuræ incertæ.

Atqui

Atqui ſpontaneæ obligationes, nec honeſte, nec commode, ſed ſplendide alendo erant. Quod ut fuerit omnium minime neceſſarium: ita media ſortitum eſt maxime indeterminata, nec rei, nec menſuræ certæ. Et horum quidem utrumq; Sacerdotum tantum erat; non Levitarum omnium. Quippe neceſſarium erat, ut omnibus Levitis ſufficienter & honeſte eſſet: commode vero, & ſplendide non item. Breviter, Deus decimis proſpexit, ut honeſte eſſet Levitis: reliquis oblationibus, ut etiam commode, & ſplendide.

Atq; hæ tot ſunt ſpecies rerum, ſeu Oblationum ſimpliciter ſanctarum, quarum nulla eſt, de qua in divinis literis non dicatur nomen תרומה; a ritu nempe offerendi: quod cremando non erat, ut in Sanctiſſimis, ſed Levando, interdum etiam agitando: unde alterum cognomentum תנופה. Idem etiam deſignare תרומה & תנופה, argumento mihi eſt utrunq; nomen de eodem uſurpatum. Ubi enim, *Exod.* 25. *v.* 5. de Auro ad Tabernaculi ſtructuram oblato dicitur תרומת זהב, de eodem dicitur, *v.* 22. תנופת זהב; & *cap.* 38. *v.* 24. זהב תנופה cumq; ibidem, *v.* 30. Æris oblatio dicitur נחשת התנופה eadem dicebatur *Exo.* 35. 24 תרומת נחשת. Aut ſi quid differant, quod certe parum eſt; id in eo videtur poſitum, quod Thenupha ſpecialius attribuatur Pectori Euchariſticorum, in Sacerdotis uſum auferri ſolito. Sed neq; hoc perpetuum eſt, nam *Exo.* 29. *v.* 28. etiam pectus eſt תרומה; & *Levit.* 9. 21. armus viciſſim תנופה: alibi æs & aurum, ut modo fuere exempla.

Verum omiſſis iſtis, digitum tibi intendam ad nomen-

nomenclaturæ hujus, quam dico; exempla in ſingulis Rerum ſimpliciter ſanctarum ſpeciebus; nomenclaturam, inquam, Therumæ, quam de *Decimis* uſurpatam legas, *Num.* 18. 24. de *Decimis Decimarum* ibidem 28. & deinceps. De *Primitijs Num.* 15. *v.* 19, 20, 21. de *Primitijs* & *Decimis* ſimul, 2 *Chron.* 31. *v.* 10. de *Aphæremate* Euchariſticorum, *Exo.* 29. *v.* 28. Et ex *Spontaneis* ſolennior illa Oblatio, que Judæis *Theruma gedola*, ea, ni fallor, Moſi *Num.* 18. 11. eſt תרומת מתן, & *Deu.* 12. *v.* 11. 17. תרומת יד Therumam manus. De cæteris quoq; frequentatur Theruma. De *Terræ* portione Deo conſecrata, *Ezek.* 45. *v.* 1. 6. & deinceps. De *Auro*, *argento*, & cæteris oblatis ad Tabernaculi fabricam, *Exod.* 25. 2. de *Sicli argentei* capitatione, *Exod.* 30. 13, 14, 15. De *Omnibus* ſimplicitur Sanctis, ſaltem quæ Sacerdotis erant, *Num. cap.* 18. *v.* 8. 19.

Neq; de his omnibus dicitur Theruma; ſed et de ſolis: adeo ut ſit in characterem non vanum Rei ſimpliciter ſanctæ hujus nominis attributio. Nuſquam enim lego in totis Biblijs Therumam dictam de Sacrificijs, aut rebus Sanctis ſanctarum, nec contra harum appellationem aliquam Therumarum alicui attributam. Videri forſan alicui poteſt, *Ezek.* 45. *v.* 13. 16. Theruma ἀπὸ κοινοῦ ſubaudienda de Sacrificijs, ſed in Syllepſi non novum eſt, cum quod commune ponitur ſingulis clauſulis, aut non æque poteſt, aut non proprie adaptari, commodiori vocabulo ſupplendum, quod commune præſtare non potuit. Exemplum cape ex iſto Virgilij—— *Nec jam amplius armis, Sed precibus,*

bus, votisq; jubet expoſcere pacem. Quid hic? num armis expoſcimus? imo verius cogimus. Quod hactenus de Theruma, etiam de Thenupha dixerim. Id ſolum poteſt ſcrupulum injicere, quod de Ariete conſecrationis, *Exo.* 29. & *Levit. cap.* 8. &'de Agno purgationis ibidem *v.* 14. uſurpetur Thenupha. Sed de utriſq; facile expediam, neutrobi enim de Sacrificio ipſo dictum תנופה; ſed de re tantum ad Sacrificium deſtinata. Cujus rei rationem, de Ariete quidem, habe iſtam. Soli Sacerdotes ſacrificium ſuum parabant ex rebus Sanctis; ut quæ portio ipſorum eſſet: reliqui vero Judæi ex ſuo quiſq; profano: unde collatio juris ſacrificandi ex re ſancta ſignum erat collati Sacerdotis. Hoc igitur fine Aries conſecrationis prius offerebatur Deo in Thenupham; idq; in ipſa manu initiandi: ut ſcilicet Res ſancta fieret, antequam fieret Sacrificium. Ita ecce in conſecrationis Sacrificio ſervavi Tenupham: ſervabo etiam in altero, quod Mundationis eſt. Nulli enim vero immundo fas erat vel tangere Rem ſanctam: quia quicquid tetigerit rem immundam, ipſum quoq; immundum fieret. Unde hoc ritu voluit Deus declarari aliquem ab immunditia ſua purgatum: poteſtate ei facta, non tantum contactus, ſed et Sacrificij ex Re ſancta. Ideo hic res Sacrificio deſtinata prius (Sacerdotis tamen manu) in Tenupham agitatur; et qui purgandus vel ipſo ſanguine Sacrificij conſpergebatur.

Thenupha.

Porro de Corban, quod Rerum ſancte Sanctarum feci proprium, et illud forſan, (ne quid celem) exijſſe videbitur, quem ei ſignavi limitem,

 quod

quod, *Numb.* 31. 5. rei etiam ſimpliciter ſanctæ tribuatur, & quæ alias ibidem Theruma audit nomine. Magnam illam auri & argenti vim intelligo, a Ducibus ex Midianitarum ſpolijs oblatam. Sed neq; hinc video, quid immineat aſſertioni meæ periculum. Nam revera vtrumq; erat hoc Oblatum, & *Corban* & Theruma; actu quidem Theruma, potentia *Corban*: nondum reapſè quidem ipſum, eo tamen deſtinatum: utpote ad Tabernaculi & Altaris Utenſilia conferendum; quæ ſupra nobis erant Secundario ſancta Sanctorum. Hujus rei argumentum illud, ni fallor, clariſſimum eſt, quod *v.* 50. *offerri dicitur ad expiationem pro animabus.* At qui tandem auro aut fiat, aut figuretur expiatio, niſi mediate, & inſtrumenti modo? dum ſcilicet ſuffimentis ſacris, & ignitis ſubſervit oblationibus? Adeo ut nihil hic ſit aliud ad expiationem offerri, quam ad uſum eorum, quæ expiando.

Peregi de nominibus rerum ſimpliciter ſanctarum: nec dum obſtaculum inveni ullum, quo minus vere dixerim, Appellatione Therumæ, quaſi charactere quodam certo dignoſci Rem ſimpliciter ſanctam a ſanctis ſanctarum. Sed nominis judicio quid opus, ubi aliunde ſuppetunt κριτήρια ex rebus nimirum ipſis? Hoc enim a ſanctis Sanctorum diverſum habent ſimpliciter Sancta, quod, ut illa, non erant hæc ſacerdotum propria, neq; marium; neq; in ſolo loco ſancto comedenda: quinimo omnium *Levitarum*, uxorum omnium, tam Levitarum, quam ſacerdotum; Filiarum quoq; virginum, non virginum, viduarum

Theruma.

arum, Repudiatarum; Mancipiorum etiam, & vernarum erant communia, & in omni loco abſumenda. Quod de Levitis lege *Num.* 18. 31. de Familijs Levitarum ibidem; de ſacerdotum Filijs, Filiabus, & tota Familia, *v.* 11. 13. & 19. de Viduis & Repudiatis *Levit.* 22. 13. de Vernis & Mancipijs, ibid, *v.* 11.

Ac ne forte in una aut altera ſpecie Therumarum libertatem hanc locum inveniſſe putes: ecce tibi in omnibus obtinuiſſe probant Sacræ literæ. In Decimis *Num.* 18. 31. In Primitijs ibid, *v.* 13. In Pectoris & Armi Aphæremate, *Levit.* 10. 14. aperte, & *Num.* 18. 11. id enim proprie vult Thenupha, cujus ibi mentio. In Voluntarijs, 2 *Chron.* 31. *v.* 14. (ubi non tantum de omnibus rebus ſanctis generatim, ſed etiam de voluntarijs in ſpecie) collato cum verſu 18. In Theruma gedola, *Num.* 18. 11. quod ibi vocari puto תרומת מתן In ommibus univerſe, *Num.* 18. *v.* 19. ibi enim ſermo de omni Theruma, & omni Re ſancta. Item, *Levit.* 22. 11. 12. ubi etiam utraq; auditur appellatio, tam Rerum Sanctarum, *v.* 10. & Therumæ, *v*: 12: deniq; 2 *Chron*: 31: verſibus, 14: & 18: collatis.

CAP.

CAP. VII.

Repetitur, & accuratius explicatur Reſponſum, Omnes oblationes in lege non fuiſſe Typicas: non enim res ſimpliciter ſanctas, ſeu Therumoth: ejus rei ἀπόδειξις? ideo Corbanim Deum ſæpe averſatum, & dedignatum in Scripturis; Terumoth nunquam.

SED jam rerum ſanctarum gentem luſtravi, & exploravi ſatis. Tribus enim diſcrevi duas; utriuſque cognomenta indicavi; familias numeravi; indolem cujuſque, privilegia quoque & jura notavi. Quæ omnia idcirco feci, ut quod ante indiſtinctiùs, paullo & obſcurius in reſponſum dixi, nunc diſtinctè dicam & partite. Dixi autem, eodem non intendiſſe omnes in lege Oblationes: aliquas quidem umbras fuiſſe futurorum; omnes non fuiſſe. Nunc igitur dico, Solas res Sanctas Sanctarum, ſeu *Corbanim* umbras fuiſſe, & typos ſanctos; ſimpliciter ſanctas, ſeu Therumas non fuiſſe: neque igitur hoc crimine in Evangelio damnandas & abrogandas; imo non eſſe abrogatas; niſi ſi forte quid in aliquibus fuerit de modo, numero & ordine ad iſtius populi, Sacerdotij, aut legis circumſtantias accommodatio.

Rationes mihi ex prædictis duæ, validæ omnino & apodicticæ. Prima, Si res ſanctæ ſanctarum propterea ſic dicebantur, quod non tantum ſanctæ ipſæ erant, ſed & rerum ſanctarum umbræ: tum

tum quæ ita dici non debuerunt, ut omnis Theruma: eæ vero ſimpliciter tantum Sanctæ fuerunt; non rerum ſanctarum umbræ.

Secunda, Si ſancta ſanctorum, aut rerum ſanctarum typos ſanctos nemini abſumere fas erat, niſi ſolis Sacerdotibus, niſi ſolis Maribus, idque in ſolo Sanctuario; quia ſcilicet Typum Chriſti, & ad Chriſtum geſſerunt ſoli Sacerdotes, ſoli Mares, & ſolus locorum Sanctus locus: certe quæ quilibet Levitarum comedebat, etiam uxores tam Levitarum, quam Sacerdotum, etiam filiæ virgines, non virgines, viduæ, repudiatæ, etiam Vernæ & Mancipia, idque in omnibus omnino locis: cui potuerint hæc ad Chriſtum, aut ejus aliquid ſpectaſſe; niſi, non Levitas dico omnes, ſed etiam Uxores, filias, viduas, repudiatas, ſed & Vernas, & Mancipia, & omnia in Iſraele loca dixeris fuiſſe typos Chriſti?

Hinc de Theruma abolenda nihil in ſacris literis; de *Corbanis* expreſſa eſt ſententia, *Dan.* 9.27. Chriſtum ceſſare facturum Zebach, & Mincham: & *Paulus*, *Heb.* 9. & 10. Θυσίας καὶ Δῶρα, ait inſtituta fuiſſe μέχρι καιροῦ διορθώσεως: ἀπαρχὰς, non dixit: qua voce L X X fere reddunt תרומה ut alteris duabus זבח & מנחה.

Hinc quoque Therumam nuſquam dedignatur Deus; Zebach, & Mincham ſæpiuſcule: ut *Pſal.* 40.7. *Zebach & Mincham noluiſti: Hola & Chatath non expetiviſti*: & 50. *v.* 8. 10. *Non propter Zebacha tua arguam te, ut Holocauſta tua ſint coram me jugiter. An veſcor carne Arietum, aut ſanguinem*

nem hircorum bibo? Sacrifica Deo laudem, & redde altiſſimo vota tua. At vero in laudem offeruntur, ſæpe & voventur Deo Therumæ, *Jer.* 7. 21. *&c. Holocauſta veſtra adjicitote ad Zebacha veſtra, & comedite eorum carnem: nam non ſum locutus cum majoribus veſtris, neque præcepi eis, quo die eduxi vos è terra Egypti, de Holocauſtis & Zebachis: ſed rem hanc præcipi ijs, edicendo, auſcultate voci meæ ——— & ambulate in tota via illa, quam præcepi vobis.* Vide & *Pſal.* 51. 18. *&c. Iſa.* 1. *v.* 11. 13. *Jerem.* 6. *v.* 20. & 7. 21. &c. *Hoſ.* 6. 6. *Amoſ.* 5. 22. Ubi ſæpe audias in ſententia ſimili *Holocauſta, Zebacha, Mincham, Schelamim*; nunquam autem Therumam. Nec id quidem injuria, cum Theruma per ſe ſit opus obedientiæ Deo debitæ: Sacrificia vero ſymbola tantum obedientiæ per Chriſtum præſtandæ, in nobis inchoandæ. Sacrificia erant propter aliud, at Theruma æque eſt per ſe opus pietatis, ac quodvis beneficentiæ aut charitatis opus: Imo, quaſi cardo eſt reliquorum, & princeps omnium operum externorum Theruma. Quo ſpreto, aut ſublato, tantum fere de reliquis, quæ ad proximum, licet ſperare, quantum de reliqui corporis ſalute, abſciſſo capite. Nunquam enim ardebit erga homines charitas, ubi friget erga Deum gratitudo.

CAP.

CAP. VIII.

Loca ſancta, & Templa ſub Evangelio vindicata: falſum enim eſſe (meo quidem ſenſu) omnia loca eſſe hodie æque ſancta; falſum, Patriarchis ante legem Templa non fuiſſe, neq; Apoſtolis & primis Chriſtianis. Illis nimirum ſua fana, Lucos (ubi de origine Lucorum) : his ſuas Eccleſias, Oratoria. Dei domos etiam tunc Templa Dei appellata; quæ tamen ſi non fuiſſent, nihil inde cauſſæ meæ præjudicij, & quare.

PEREGI ita rerum ſanctarum vindicias : quas aliter non potui, quam ut vidiſti, nimis forſan prolixe. Adeo enim denſas hic offuderat confuſio tenebras, ut diſpellendis non eram, niſi largo diſtinctionum lumine. Proxime mihi tuenda venit *Locorum Sanctitas*; nam et hujus arcem dejectam velit quorundam temeritas, dicam, an inſania. At ego facili negotio utramq; rejiciam, & muniam me contra objectionum, quos in vanum torquent, arietes.

In Templa enim, quæ nobis hodie Loca ſacra, illi ſic incurrunt, quaſi in Evangelio ne eſſent quidem; nedum Loca ſacra eſſent. Primò aiunt hodie nullis locis alligatum Deum, nec nos ad Deum colendum. Id enim unius legis fuiſſe proprium, ut in uno loco invocetur, & adoretur Deus; in typum Mediatoris unici : hodie non ita: De nobis, & noſtris temporibus vaticinari Malachiam. *In omni loco ſuffimentum offeretur nomine meo, & munus*

purum; *quia magnum nomen meum erit in gentibus*, *ait Dominus excercituum*: Quin & D. *Paulus* ad *Timoth.* in omni loco orare jubet: *Volo viros orare in omni loco.* Ecce igitur Chriſtianis promiſcue Deum colendum, non Templis, non locis ad hoc ſacris. Eodem illis loco habenda omnia omnino loca. Secundo, ut porro ſciamus, hoc legis fuiſſe proprium, nuſquam Templorum mentio facta ante legem. Ubi enim, aut a quo proditum, *Abrahamum*, *Iſaacum*, *Jacobum*, *Melchizedecum*, ſanctiſſima illa Capita, Templa Deo poſuiſſe? Tertio, neq; primæva Chriſtianitas hujuſmodi loca ſacra novit, non vidit Apoſtolorum ætas; non alterum a Chriſto ſeculum, quinimo in privatis domubus obibant illi ſua ſacra; non certis, non ſanctis, ſed quibuſvis, ut occaſio tulit, locis. Deniq; palmarium illud eſt, quo vel ex Gentibus erant, qui oppugnarunt Templa Gentium; Ubiq; eſſe Deum, non habitare in Templis manufactis.

Vides, ut in campum elicui, & in aciem, præcipuas *Hieroclaſtôn* copias: cum quibus nunc ſtrenue mihi confligendum; & proterendæ ſingulæ, eo quo produxi ordine. Ais, legis fuiſſe proprium, ut loco certo, & peculiariter huc deſtinato, invocetur Deus: Evangelio liberum, ut in omni. Imo vero legis fuit proprium, non ut certo, ſed ut uno loco publice colatur Deus: Evangelio liberum, ut in multis, impoſſibile, ut in omni. Quod igitur in omni loco ait Propheta, ſuffitum Deo afferendum, & *Paulus*, omni loco orandum: de omnibus locorum generibus aiunt,

non de ſingulis omnium generum. Genera locorum intelligo, diverſarum terrarum loca ; ut ſit, in omni loco invocabitur nomen Dei : In omnibus terris erunt loca, ubi Gentes invocabunt nomen Dei. Nunquam enim futurum erat, aut eſt, ut in ſingulis ſingularum terrarum locis publico ritu invocetur Deus ; ſed tantum in aliquibus omnis terræ locis.

Prætèrea, Omnia loca eſſe hodie æque ſancta, verum eſt de eo quod fas ſit & liberum, non de eo quod ſit actu.

In Evangelio nullus locus hoc privilegio gaudet,ut ſolus poſſit dicari in locum præſentiæ divinæ:et tamen multa hodie ſunt loca, quæ ſola actu ſacra ſunt preſentiæ divinæ. Ut enim ſi quotamvis bonorum partem liceat Deo conſecrare ; non idcirco dixeris omnes eſſe ſanctas:nec ſi quemvis diem ſeptimanæ liberum eſſet ſacris conventubus obligare, ideo omnem diem eſſe diem feſtum. Idem hic puta, omni quidem loco fas eſſe,omnem tamen non eſſe ſanctum. In lege ſacrum miniſterium erat uni familiæ adſtrictum ; Eccleſia uni genti.

In Evangelio utrumq; eſt catholicum, & commune, omni familiæ Miniſterium ; eccleſia omni genti : et tamen nec ſunt ex omni familia Miniſtr', nec in omni gente Ecelesia Dei. Idem hic puta, liberum eſſe Deo Templum in omni loco ponere ; non tamen poſitum in omni loco.

Pergis, & ante legem, inquis, non habuerunt Patriarchæ Templa. Eſto, non habuerint, quos modo dixiſti Patriarchas : an igitur nulla prorſus apud illius ævi homines ? Immane, quam imbelle

hoc telum! imo quam iniquum! Quippe peregrini erant Patriarchæ iſti (*Melchizedecum* excipio) & vitam vivebant ambulatoriam, & pæne ſylvanam. Quid mirum igitur, ſi Templa nulla condidiſſent magnifica, ſumptuoſa: cum neq; domos privatas habuiſſe legas, ſed tentoria! At non idcirco Patriarcharum Gentiles, Chaldæos, aut inquilinos terræ, Cananæos, in Urbibus, & ſplendidioris ſtructuræ ædibus non habitaſſe; ita neq; Templis caruiſſe opinandum: ut Patriarchas utriſq; demus caruiſſe.

Quinimo, ſi rem ipſam putemus potius, quam rei modum, aut nomen ab hoc datum: non falſo affirmabimus, etiam Patriarchis ſua fuiſſe Sanctuaria, ſeu Templa, ſeu Fana, ſeu Thyſiaſteria dicas: id eſt, Areas ſaltem, ſacris addictas, & effatas: ubi Altare ad Sacrificia, & arboretorum ſepta loco tecti & parietum. Ut enim quem quiſq; locum habitat, non immerito domum ejus dixeris; ut ut ſub tecto non fuerit: ita quo Deus loco peculiariter habitet, & præſentiam ſuam dignetur, utiq; Domus Dei eſt, quamvis Area patens & ſub dio ſit. Unde Jacobus, de illo Betheli loco, ubi Deus ipſi apparuerat: *Quam terribilis eſt*, inquit, *hic locus! nihil eſt hic locus niſi Domus Dei, & hæc porta cæli eſt.* Domum enim parietes non faciunt, ſed uſus ad habitandum: ita nec Templum ſtructuræ ſplendor, ſed uſus ad Deum conveniendum.

Ejuſmodi autem Fana poſuerunt Patriarchæ, ubicunq; paullo diutius commorati ſint. *Abraham Sichemi*, Gen. 12. 4. in Montanis quæ ad Bethelem ibid. 12. 5. In planitie, ſeu mavis, querceto

Mamre,

Mamre, *Gen.* 13. 18. Ad Beerſhebam, ib. 21. 33. *Plantavit*, inquit, *Abraham Nemus ad Beerſhebam, & invocavit illic nomen Jehovæ, Dei fortis, æterni.* In cæteris, fateor, non aperta Arboreti mentio; Thyſiaſterij tantum. Sed ex hoc uno reliqua æſtimamus, & quidem Sichemi Thyſiaſterio adeo conſtat adjunctum fuiſſe arboretum, ut cum poſtea ob antiquam loci ſanctitatem Tabernaculum illic ponebatur, Quercum, ſeu Quercetum, vel ipſo Tabernaculi atrio incluſum, dicitur, *Joſuæ* 24. *v.* 26.

Porro Beerſhebæ fanum inſtauravit *Izaak*, *Gen.* 26. *v.* 25. Sichemi *Jacob*, *Gen* 33. 20. qui et in Meſopotamiam profecturus, aliud Bethele vovit, loco ubi Deus ipſe apparuerat, *Gen.* 28. *v.* 22. Hic autem voti formulam velim cogitate expendas. *Si proſpere, inquit, reverſus fuero——tum lapis hic, quem in ſtatuam diſpoſui, erit Domus Dei.* Audi, domum Dei dicit; aut igitur Ædem Deo vovit *Jacob*, aut ſaltem locum, quem ſacris circumſcripturus erat, appellavit Ædem. Hujuſmodi autem, & hac, quam dixi, forma, Loca, Patriarchæ ſacris obligaſſe putandi; non tantum pro neceſſitate vitæ ruſticæ, & paſtoritiæ (quod tamen hic non negligendum:) ſed etiam ex ritu, & more priſco. Quale enim in principio Deus fecit Hominibus habitaculum, talia et illi fecerunt Deo. Hominem in Paradiſo collocavit Deus, homines Deo plantarunt ſacros Paradiſos, id eſt, Lucos. Hæc nimirum vera Lucorum origo: in quibus principio Patriarchæ Deum verum; poſtea, multæ gentes multos quoq; Deos ſunt venerati. Deinde, cum

Domus & Urbes ædificari cœptæ, & mutari ratio habitandi: tandem mutarunt quoq; Loco ſacra, & Palatia Deo poſita; ut, quo homines habitarent modo, habitaret etiam Deus. Quæ cauſſa erat, dum populus in deſerto Tabernaculis uteretur, ut ipſe Deus curaverit ſibi fieri Tabernaculum: cum vero Cananitide occupata, habitarent in domubus cedrinis, etiam Deo poſita eſt Ædes cedrina: ut æque magnifice habitaret ipſe, atque dederat habitare hominibus. Quamvis longo poſt tempore apud Gentes manſit conſuetudo, ut Templa in Urbibus tantum haberentur, in villis tantum Luci. *Cic.* 2. de legibus. *Conſtructa a patribus delubra in urbibus habento: lucos in agris habento.* Unde Perſius Lucum cum rure junxit Sat. 1.——*Nec ponere lucum Artifices, nec rus ſaturum*—— Ut vel hinc ſcias, Lucos principio, ut dixi, accommodatos vitæ agreſti & ſylvanæ.

At ſaltem, inquiunt, Apoſtolorum ævo, & proximo, Templa nulla, nulla Fana. Imo tu objectionum vanus. Nam quid mihi ingeris tempora extraordinaria ad menſuram & legem ordinariorum? Multa ſunt, fateor, in Eccleſiæ rebus, in quibus nihil ad diſſimilitudinem valere poteſt, aut debet temporum diſſimilitudo, in alijs vero (ea plerunq; *eſt externorum* indoles) non parvum habent ad varietatem momentum temporis conditio varia. In illis igitur non ægre te ferrem ſic objicientem, in his, nimis ipſe a ratione abſim, niſi omnem ſequelæ rationem abeſſe dixerim.

Iſraelitis in Deſerto natis Circumciſionem dilatam

latam legimus, & multa ibidem pro temporis ratione toleraſſe Deum, quæ terram promiſſam adeptis, & confirmatis poſtea rebus, ultra noluit indulgere, *Deutr.* 12. 8. *Non facietis* (Moſis ſunt verba) *ſecundum omnia, quæ nos hic facimus hodie.——— Non enim adhuc ingreſſi eſtis ad locum illum quietis, & ad poſſeſſionem illam, quam Jehova Deus tuus dat tibi.* Simile hic tu de primis Chriſtianis cogita; cum Eccleſia, ob perſecutionem deliteſcens, velut in ſolitudine egiſſe dicitur.

Sed quorſum ego hæc talia? non utar hoc effugio: quinimo fidenter aſſevero, Chriſtianis jam Apoſtolorum ævo fuiſſe Loca ſua ſacra, ſeu Sacella: neque in omni promiſcue loco ad Dei cultum conveniſſe. Sacella, inquam, habuerunt, in primis forſan initijs occulta illa, neque adeo vulgo Gentium conſpicua; quod aut partes forte, aut intra ambitum eſſent privatarum ædium; ipſa tamen nequaquam privata. Fallunt enim, & falluntur, qui, quaſi publicum eſſe non poſſit, quod ſemotum a conſpectu publico, nimis importune urgent, quia palam Synaxes ſuas non celebrarint primi Chriſtiani, ideo non publicis, ſed privatis conveniſſe locis. Aliud omnino *Paulus* innuit de Corinthiorum Eccleſia, 1 *Cor. c.* 11. De nomine hic non contendam, an cœtum Eccleſiam dixit *Paulus*, an locum cœtus: ſed de re ipſa. Habuerunt, inquam, Corinthij Locum ſacris uſubus peculiariter deſtinatum; non privati, ſed publici juris.

Chriſtianorum Sacella Apoſtolorum tempore.

D. Paulus.

Quid

ut oſtendat, quam diſſonum, imo plane e diametro eſſet religioni Chriſtianæ, Alumnum ejus Simulacrorum & Idolorum eſſe artificem: *Tota*, inquit, die *ad hanc partem* fidei zelus *perorat, ingemens Chriſtianum ab idolis ad* Eccleſiam venire, de *adverſaria officina ad Domum Dei venire*. Audi hic, fuiſſe jam Tertulliani ævo, quod *Domum Dei* appellaverint, ſed & *Eccleſiam*.

Imo adverſus Valentinianos *cap*. 3. Domus hujus & formam & ſitum expreſſit illis verbis; *Noſtræ columbæ Domus ſimplex* (id eſt, non in latebris, nec ſinuoſa, ut ſerpentum) etiam in æditis (id eſt conſpicuis, non ut Valentinianorum in occultis) *& apertis ad lucem* (id eſt, ad Solis ortum converſis) *amat enim figuram Spiritus Sancti* (id eſt, columbinam, quarum cellulæ non ſunt occultæ, aut ambagioſæ) *Orientem Chriſti Figuram*; eum nempe *Juſtitiæ Solem*, *Mal*. 42. & Ἀνατολὴν ἐξ ὕψους, orientem ex alto *Luc*. 1. 78. indigitat Scriptura. Nam quamvis tunc temporis Eccleſias non valde magnificas fuiſſe concederem: perperam tamen, & contra Autoris mentem eo torquent multi vocabulum, *Simplex*. Quippe Tertullianus Serpentibus comparat Valentinianos hæreticos, quod Eleuſiniorum Cereris ritu ſacra ſua neſcio quibus occultarunt, & myſteriorum anfractubus, & latebris locorum; quibus Orthodoxorum, ut columbarum, opponit ſimplicitatem, omnia contra, etiam loca ad cultum aperta, obvia, et conſpicua habentium. Quid autem hæc ad paupertatem, ad magnificentiam? nec ego certe video, quomodo in ornata & pau-

 pertina

pertina domus (hunc illi ſimplicitati tribuunt ſenſum) Spiritus tam gratiarum divitis gereret figuram.

Conſtitut. Apoſtol. Sed, ut pergam, Tertulliano prorſus conſonat Conſtitutionum Apoſtolicarum autor, non quidem Apoſtolici, at hujus ſaltem ævi.

Hic *lib.* 2.*cap.* 57. de ſacrorum conventuum loco, ὁ μὲν Οἶκος, inquit, ἔστω ἐπιμήκης, κατ᾽ Ἀνατολὰς τετραμμένος, ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν τὰ παστοφόρεια πρὸς Ἀνατολὴν, ὅστις ἔοικε νηΐ, κείσθω δὲ μέσος τοῦ Ἐπισκόπου θρόνος, παρ᾽ ἑκάτερα δὲ αὐτοῦ καθεζέσθω τὸ Πρεσβυτέριον, καὶ οἱ Διάκονοι παρεστάθωσαν εὐσταλεῖς πλείονος ἐσθῆτος, &c.

Ad hoc quoque ſeculum, ſi non ulterius, pertingit, quod Euſebio teſtatum *Eccleſ. Hiſt. lib.* 8. *cap.* 1. ubi agit de felici rerum Chriſtianarum ſtatu ante Diocleſianum. Πῶς δ᾽ ἄν τις, inquit, διαγράψειε τὰς μυριάνδρους ἐκείνας ἐπισυναγωγὰς, καὶ τὰ πλήθη τῶν κατὰ πᾶσαν πόλιν ἀθροισμάτων, τάς τε ἐπισήμους ἐν τοῖς ΠΡΟΣΕΥΚΤΗΡΙΟΙΣ συνδρομὰς, ὧν δὴ ἕνεκα μηδαμῶς ἔτι ΤΟΙΣ ΠΑΛΑΙ ΟΙΚΟΔΟΜΗΜΑΣΙΝ ἀρκούμενοι, εὐρείας εἰς πλάτος ἀνὰ πάσας τὰς πόλεις ἐκ θεμελίων ανίστων Ἐκκλησίας·

Diocletian. regnare cœpit An. 204. Expende verba, ταῖς πάλαι Οἰκοδομήμασιν μηδαμῶς ἀρκούμενοι. Quando tu ædificata cenſes, quæ ante Diocletiani imperium dici potuerint παλαιὰ

οἰκοδο-

οἰκοδομήματα? nonne uno aut altero ante ſeculo? Aut nihil video, aut priſcum, ut vere poſſit dici, non video, quòd unam ſaltem non implevit annorum centuriam.

CAP. IX.

Reſponſum ad Objectionem de Omni-præſentia. Illam non magis nobis, quam Judæis Templi rationem adimere; neque omnem Dei preſentiam a nobis Templis adſtrictam; ſed ſpecialem ejus modum. Quomodo hic modus dictus in ſacris literis: item aliter objectis reſponſum.

ULtimum mihi reſtat ſternendum agmen; quod ſub Omni-præſentiæ vexillo. Ubiq; ais eſſe Deum, & ex ſacris literis nos doceri, *non habitare eum in Templis manufactis. Recte.* Agnoſco quod ex ſacris literis; at vero hoc idem ſub lege dictum aio, & de Templo *Solomonis*, quod tamen non negaveris fuiſſe Templum. Non magis igitur nobis adimit rationem Templi, quam illis adimebat. *Nam.* 1. *Reg.* 8. *v.* 27. *An revera*, inquit *Solomon*, *habitaret Deus in terra? ecce Cæli ipſi, & Cæli Cælorum non capiunt te: quanto minus Domus hæc quam ædificavi.* Attamen ipſe ſupra *v.* 13. *Plane*, inquit, *ædificavi tibi Domum Habitaculi, ſtationem, in qua reſideas in ſecula.* Et Deus ipſe de Tabernaculo, in cujus locum ſubijt hoc Tem-

nempe tamen ſpeciali præſentiæ modo. Hunc autem peculiaris præſentiæ modum *Faciem Dei dictum*; & qui eo venirent, *coram Deo* venire, coram Deo conſiſtere: eundemq; phraſi iſta *Collocationis nominis Dei* expreſſum: item oculi, & *cordis Dei* metaphoris: ut 1. *Reg. cap.* 9. ubi tria iſta conjuncta reperies in ſermone Dei ad *Solomonem. Conſecravi*, inquit, *Domum quam ædificaſti*; *ut collocem nomen meum ibi uſq; in ſeculum: eruntq, oculi mei, & Cor meum ibi omnibus diebus* Eſt enim peculiaritas hæc, quaſi Cor & oculus præſentiæ divinæ. Secundo, Deum non habitare in Templis manufactis, hoc aio, eo ſenſu capiendum, non habitat, ut nos habitamus; quaſi ijs indigeret ad habitandum. Atq; ad hanc mentem temperanda eſſe verba *Pauli* diſcas, ex ipſis *Pauli* verbis. Deus, inquit, *qui fecit Mundum, & omnia quæ in eo ſunt, quum ſit Cæli & terræ Dominus, in manufactis templis non habitat; nec manibus hominum colitur, alicujus rei egens; quum ipſe dat omnibus vitam & halitum & omnia.*

Poſtremo, non habitat Deus in Templis manufactis; qua nimirum, aut quia manufacta: quæcunq; tandem ſit operis forma, quantacunq; magnificentia. Non fabricæ enim modus, aut artificis manus divinam accerſit præſentiam: ſed uſus ad Deum verum, vere, riteq; colendum.

CAP.

ſunt, quæ poſſeſſoris digniſſimi. Secundo, idipſum adfirmatum habeo ex ſacris literis. *Jehova*, inquit, *Deut.* 26. 28. *Stipulatus eſt ſponſionem a te hodie, te fore ei populum* peculiarem, —— *ut efficiat te* ſublimem *ſupra omnes gentes, quas fecit, laude, nomine & gloria*; *& ut ſit populus* Sanctus *Jehovæ Deo tuo, quemadmodum locutus eſt.* Audi hic populum peculiarem, ſanctum, ſublimem. Peculiarem; ideo Sanctum. Sanctum; ideo ſublimem ſupra omnem populum. Deniq; adeo agnata eſt hæc proprietas rebus Sanctis, ut ipſa nomina Sancti, & Divini, abierunt in notionem Excellentiæ. Hinc apud principem Poetarum ἱερὸν eſt τὸ μέγα & quod in ſuo genere præſtat. ἱερὸν κνέφας τὸ μεγὰ καὶ βαθυϊερὸς βοῦς idem. Sic ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο; ἱερὴ ἲς Τηλεμάχοιο. etiam Δῖον Ὀδυσσῆα audias & Λακεδαίμονα δῖαν.

Quam locutionem nec Hebræa lingua ignorat. *Abramum* enim, *Gen.* 23. 6. appellant Hethitæ נשיא אלהים principem Dei; id eſt, honoratum & excellentem. Et *Ninive Jonæ* 3. audit עיר־גדלה לאלהים *civitas magna Deo*, id eſt Urbs ampliſſima, & nobiliſſima. Plura non addam. Res magnæ & egregiæ Dei dicuntur, & ſacræ: quia res Dei, & ſacræ, res magnæ ſunt & egregiæ. Atque ita de Sanctitate dixi, quæ pro inſtituto meo, & pro mente. Laus æternæ Menti.

Diſſertatio

DISSERTATIO SECUNDA.
DE
VENERATIONE SACRA.

CAP. I.

Obſcuram, & ancipitem eſſe de hac Tractationem. Veneratio univerſe definita: diſtincta in Internam, Externam. Utraque in Religioſam, Sacram, Civilem. Trichotomia quare prælata. Sacra mihi ſelecta, definita, explicata. Sanctificationem eam dictam; & quare. Sanctificatio duplex: קדש & הקריש quomodo differunt. Comprobatur Definitio Venerationis Sacræ.

A Sanctitate relativa tranſeo ad Venerationem debitam rebus ita Sanctis: Rem profecto, ſi quid aliud, obſcuram, perplexam; ſed & valde lubricam: ut non mediocre mihi utrobiq; periculum; ab inſcitia illinc, hinc a lapſu per inſcitiam; ne mentis hujus oculo aut parum, aut nihil ſim perſpiciendo; aut ſi quid, oculo parum recto. Ut ut ſit, quam ipſe delegi ſortem nunc in integro non eſt, ut detrectem. Libabo igitur, ſed breviter, & cum *Homero* ἐπιτροχάδην. Quid enim hic vela pandam? hoc ipſum timide, quod pedem omnino pono in hanc cymbam. Vene-

Venerationem univerſe finio, Agnitionem eminentiæ habitam; eſtq; duplex: Interna & Externa. Interna eſt, quam mens & affectus habent. Externa, quæ ab illis foras oſtenditur actu aliquo externo. Ab illis dixi. Mentem autem innuo & affectum: idq; jure. Non enim ſunt hæ ſpecies æquo jure; ſed, ut logici loquuntur, Πρὸς ἕν: quod nimirum priore poſterior habeat; quod genus habet; id eſt, ſit Veneratio: omnis enim externa ſignificatio, ut ut operoſa, intrinſecus non oriunda, inanis eſt: nec Venerationem vere dixeris, ſed larvam hujus.

Porro utraq; harum etiamnum tripliciter mihi partienda; in Religioſam, Sacram, Civilem. Religioſam voco; Quæ Eſſentiali ſanctitati deferenda, & eminentiæ ſuper omnia ſublimi, id eſt, Deo. Sacram, quæ relative ſanctis: Civilem, quæ civili ratione eminentibus. Prima ſola abſoluta eſt, cum Deo abſolute detur, & propter ipſum: ſecunda propter relationem ad Deum: tertia propter imaginem. Omnis enim Eminentia civilis, non a Deo ſolum eſt; ſed & imago Dei. De Regibus aperte dictum: Vos Dij eſtis. Et ut illi poteſtatis; ita Parentis etiam potentiæ, Senes æternitatis divinæ gerunt imaginem. Quantum jam a Deo Relatio ad Deum: Quantum Imago pura ab archetypo: tantum diſtat Veneratio ſacra & civilis ab religioſa; non gradu tantummodo, ſed & ſpecie; imo plus quam ſpecie. Etenim Specierum analogarum, ſeu Πρὸς ἕν (tales autem hæ ſunt) ea eſt indoles & natura, ut cum ge-

nere nec æque participent, nec plene conveniant: ideo diſcrepent plus quam ſpecie.

Jam ex hac Venerationis triga, Sacram ſolam deſtinavimus futuro ſermone illuſtrandam. Nec id te moveat, quod Sacram dixi ad differentiam; quaſi Religioſa etiam non eſſet ſacra. Ad has enim anguſtias diſtinctionum cogit me verborū inopia. Quam ut tu recta mente ſuppleas, quæſo, ſic capias meam mentem; religioſam quidem venerationem ſacram eſſe; ſed & plus quam ſacram: hanc autem a me ſpeciatim dici Sacram, quod ſimpliciter ſit, & tantum ſacra; non etiam Religioſa.

Trichotomiam autem hanc aliorum in hoc negotio Dichotomijs prætuli, ut tutam magis & illuſtrem. Horrui enim λατρείας, & δουλείας Acroceraunia; diviſionem principio & per ſe non malam, niſi ea quidam uſi male: nunc certe a λογομαχία lubricam & perplexam.

Nec tamen poſterius illud δουλείας membrum ſatis commode aptaveris omni Venerationi ſacræ: perſonis quidem facile; non item Rebus ſacris. Quid enim? qui proprie Rebus (res hic a perſonis habeo diſtinctas) δουλείαν exhibuerit: idem conjugatorum lege & proprie rerum diceretur δοῦλος: at hoc dictu incommodum; quia non rebus perſonæ, ſed res perſonis ſubjiciendæ. De altera illa quorundam e noſtris in Religioſam & Officioſam, vereor nimis, ut illud officioſum parum abſit a civili: aut ſi ſacrum admittat; non tamen pro bono aut claro hujus Doctrinæ futurum, ut Sacrum civili ſic eamus confuſum.

Quin redeo ad id, quod proprie ad meam Spartam; & Venerationem ſacram ſupra mihi utcunq deſcriptam definio; primo brevius, Actum rem Sanctam ſancte habendi: explicatius vero, Qua verenter habemus rem ſanctam mentis, affectuum, omniumq; actionum noſtrarum, quæ erga aut circa ipſam, conformitate ad ipſam. Hoc nimirum eſt rem ſanctam ſancte habere: hoc eſt agnoſcere Eminentiam ſanctam; cum cogitationes, cum affectus actioneſq; noſtræ, quæ circa ipſam, exiguntur quaſi ad ſanctitatis eminentiam. Sicut enim cognitio omnis eſt a conformitate mentis cum re cognoſcenda: ita agnitio voluntatis etiam, affectuumq; cum re agnoſcenda. Nam illa, ut diſcriminem, ſolius eſt mentis; hæc voluntatis affectuumq; menti mixtorum. Porro, quæ ſunt rei ſanctæ ad eminentiam eſſentialia; eadem ſunt ad verenter ſeu eminenter habendum requiſita. Talia duo ſunt, Peculiaritas, quam dixi, & Differentia a rebus communibus. Illa eſſentia eſt rei ſanctæ, unde fluit eminentiæ ſeu præſtantiæ attributum: hæc gradus eſt ad ipſam. Sicut autem utrunq; Eminentiæ rei ſanctæ neceſſarium eſt, ut ſit: ita utriuſq; æſtimatio & agnitio ad Agnitionem eminentiæ: quod enim Philoſophi dicunt, prout res in eſſendo habent, ita quoq; habere in cognoſcendo: ei nos adjicimus, ita quoq; habere in agnoſcendo. Breviter igitur ſic habe. Qui eminenter, ſeu eminenti loco habet, quod ex Sanctitate eminet; is reveretur & veneratur: quod vero eminenter habetur, neceſſe eſt quoq; præ alijs haberi peculiariter, & ab illis

differenter. Cum autem tribus iſtis abſolvatur Sanctitas ipſa; fit, ut idem ſit venerari ſeu honorare rem ſanctam, atq; ipſam habere ſancte. Ut qui rem ſanctam præ alijs peculiariter, ab alijs differenter, & ſuper alias eminenter & ſublimiter habuerit: Idem ſancte habuerit & veneranter. Hinc ſacris literis veneranter habere rem ſanctam, ſanctificare dicitur. *Sanctificabis* diem ſeptimum, id eſt, ſancte ſeu veneranter habebis, aut ſancte ages hunc diem. Ita *Solomon*, 1 *Reg.*8.*v* 64. *Sanctificavit internam partem atrij, quæ erat ante Domum Johovæ, eo quod paraſſet ibi holocauſta & munera.* Id eſt, non conſecravit, hoc enim jam ante factum; ſed ſancte habuit, & honoravit actubus in eo religioſis. Item in oratione dominica, Sanctificetur nomen tuum, eſt, ſancte & veneranter habeatur nomen tuum.

Laborat tamen hæc vox ambiguitate ex duplici ſignificato. Interdum enim eſt ex non ſancto ſanctum facere, id eſt Deo addicere & conſecrare; Hebræis fere הקריש in Hiphil, alias eſt, quod dixi ſancte habere, ſancte uti, Hebræis קרש in Piel: quo diſcrimine de Hebraicis verbis obſervato, proclive erit conciliare duo illa loca contradictorie alioquin pugnantia; primum *Exod.* 13.1. *Allocutus eſt Jehova Moſen dicendo; Sanctifica mihi omne primogenitum, quicquid aperit vulvam apud Iſraelem ex hominibus & jumentis: meum enim eſt.* Sed nunquid non contrarium ſanxit, *Lev.* 27.*v.* 26. *Veruntamen,* inquit, *primogenitum, quod primum gignitur Jehovæ ex beſtijs, ne quis ſanctificato illud, ſive bos, ſive parva pecus:* Jehovæ eſt. Jehovæ? quid,

quid, inquam, ſi Jehovæ? Monſtri ſimile; ſi uni eidemq; ratiunculæ vim tribuas ad contrarium illationem. Sanctifica primogenitum, quia Jehovæ eſt; ita prius habuit. Ne ſanctifices primogenitum; quia enim Jehovæ eſt: ita poſterius habet. At tu ſic expedito hunc nodum. *Sanctifica mihi omne primogenitum*; *id eſt* קדש ſancte habeto, ſancte utitor: quia ſcilicet Jehovæ eſt: bona ratio, ut quod Jehovæ ſanctum, idem habeatur ſancte, & ſanctis cedat vſubus. Item, *Primogenitum nemo ſanctificet*; id eſt, הקדיש nemo conſecret. Illatio hæc non minus bona, non tu facies ſanctum, qui jam ſanctum eſt: Jehova ipſe fecit ſanctum. Differentia hæc inſignis eſt; ut minus ſit perpetua, & tamen ex ijs, quæ haud putares: ad eam flectas multa: ego vero me ad id a quo deflexi.

Dixi enim, Venerationem ſacram poſitam eſſe in rem ſanctam peculiariter & differenter habendo Quod de omni honoris etiam civilis ſignificatione verum, ſpeciatim monſtrabo de Honore ſacro, ex dictis & edictis ſacris. Primo igitur, de ſacro Unguento præceptnm, *Exod.* 30. 31. ut veneranter & ſancte haberetur. Oleum, inquit, Unctionis *Sanctæ eſt hoc mihi per generationes veſtras*, id eſt, ſancte habebitis mihi hoc oleum per generationes veſtras. Quo jam hoc modo fiat, qua via, ſi quæras, verbo tibi reſpondebo ex ipſo verbo: vſu nimirum peculiari. *Carnem enim hominis, inquit, ne quiſquam eo ungito, aut ſecundum confecturam ejus ne facitote* ſimile ei; rationem audi. *Quia res ſancta eſt*. 1. Totum hujus confecturæ genus Deo

Deo & ſacris vſubus addicitur. *Res ſancta eſto vobis*, id eſt, idcirco vos ſancte & veneranter habebitis, peculiariter & differenter ab alijs unguentis habendo. Idem de ſuffitu ſacro lege *v.* 37. *Secundum hujus ſuffitus confecturam ne facitote vobis* (id eſt, hujus confecturæ ſuffitu communiter ne utimini) *res ſancta eſto tibi*; id eſt, tu ſancte habebis peculiari & ſancto uſu.

Atqui omnium apertiſſime, *Ezek.* 22. 26. profanatio rerum ſanctarum per exegeſin exponitur, non diſcernere inter ſanctum & profanum *Sacerdotes*, inquit, *prophanant res ſanctas meas: inter ſanctum & profanum non diſcernunt*, &c. Si non diſcernere profanatio ſit; quid diſcernere erit, niſi ſanctificatio & veneratio? Nec alium certe ob cauſſam voluit Deus Judæos vitæ inſtitutum magnam partem diverſum habere ab alijs Gentibus; niſi ut, quam ipſe nationem ſibi peculiarem fecerat & ſanctam; ipſe quoq; ſe ſancte haberet & differenter. Mihi non credis? Deo crede; qui *Levit.* 20. *v.* 24. 25. &c. Ego, inquit, *ſum Jehova Deus veſter, qui diſcrevi vos a populis.* Vos igitur diſcernetis *inter beſtiam mundam; & immundam, & inter avem immundam & mundam; neque abominandas efficietis animas veſtras ulla beſtia, aut ulla ave, aut ullo quod premit terram, quæ diſcrevi vobis ut immunda habeatis. Sed eritis mihi ſancti, quia ſanctus ego ſum Jehova, qui diſcrevi vos a reliquis populis.* Non igitur ciborum diſcrimina, neq; munditiei & immunditiei leges & ſimiles obſervationes alias crediderim ad typum futurorum, ſaltem præcipue, inſtituta: ſed ad peculiaritatis & ſancti-

tatis ſymbola. Quam idcirco, cum ſublatum ibat Deus, Eccleſiam facturus catholicam, promiſcuo ciborum uſu Petro imperato, declaravit tanquam ſigno apprime convenienti, Eccleſiam deinceps ſibi fore ex omni gente promiſcuam. Et, ut hic tandem teſtimoniorum deſinam, hoc ultimum habe ponderis non ultimi: D. nempe Paulum prophanationem ſacræ cænæ non alia dictione expreſſiſſe, quam μὴ διακρίνειν σῶμα τοῦ κυρίου id eſt, peculiariter non habere, non diſcernere panem myſticum: Ut hinc diſcas, diſcretionem eſſe Venerationem; diſcretim habere, ſanctificare, & vereri ſancte.

CAP. II.

Probatur eam ſacris rebus deberi: ubi brevis primæ tabulæ Decalogi analyſis.

SED jam ſatis, inquis, intelligo, quid ſit & in quibus ſita Veneratio ſacra; at qui probabis, hanc, quam explicaſti, talem, adhuc dum deberi rebus ſacris? Qui inquam, niſi, quod adhuc ſunt res ſacræ: ergo & debitum ſacrarum rerum. Objectum enim quandiu manet, manebit etiam officium circa hoc objectum. Hæc una ratio eſt, et firma; cui addo idem a Deo mandatum in quarto Decalogi præcepto, de quo, ut fidem faciam, prima tabula brevi analyſi mihi aperienda eſt.

Prima tabula exhibet officium noſtrum erga Deum

Deum; id vero eſt vel erga Ipſum, vel erga ea quæ ad Ipſum. Officium erga ipſum Deum vel internum eſt, vel externum. Internum eſt, vt ipſum ſolum agnoſcamus eſſe Deum; id eſt, omnium entium Primum et ſupremum, ideoq; ipſi ſoli honoris, amoris, Timoris et obedientiæ noſtræ deferamus primas et ſupremas, et in hoc eſt primum præceptum. Externum deinde officium eſt, vt cultum hunc externe faciamus θεοπρεπῶς et divinæ naturæ congruenter: neq; Deo ſimilitudinem fingamus vllius rei creatæ, quam, vel ad Ipſum reſpectu, veneremur: *quia Jehova Deus noſter Deus Zelotes eſt*, neq; ferre poteſt, vt creaturæ tanquam objecto, vel repreſentative exhiberetur cultus ipſi debitus. De hoc eſt ſecundum præceptum.

Sic fuit officium erga Deum Ipſum: in reliquis ſequitur officium erga Ea quæ ſunt Dei; quæ iterum vel interne ipſum ſpectant, vel externe. Interne potentia, providentia, voluntas, gratia, &, ejuſmodi, quæ uno nomine appellantur Dei nomen. De his præcipitur, ne temere aut inaniter habeamus, vſurpemus; & de hoc eſt tertium præceptum. Jam quæ externe Deum ſpectant, ea vero ſunt Peculia Dei, & res ſacræ cujuſcunq; generis, ſeu Perſonæ, ſeu Res ſpeciatim dictæ, ſeu Circumſtantiæ rerum & perſonarum, ut locus et Tempus ſacrum. Atq; de his omnibus affirmo in quarto mandato præceptum, ut ſanctificemus, id eſt, ſancte habeamus, imo ut meminerimus ſancte habere: quia nimirum Dei ſunt. At, inquies: ſola hic de Tempore ſacro mentio; de

de reliquis nulla. Mihi vero hoc ipſum ſatis eſt, quod de tempore ſacro: cum hæc ſit Synecdoche Decalogi propria; ut ex una ſpecie intelligeremus omnes ejuſdem generis ſpecies: ex una rerum ſanctarum ſpecie omnes omnino res ſanctas.

Et quidem particularis propoſitio rationem habens annexam æquipollet univerſali illi, quæ foret integri Syllogiſmi Major. Ut: Dies ſeptimus eſt dies Domini Dei tui: Ergo dies ſeptimus eſt ſanctificandus: Enthymema hoc ſi compleveris, Major erit, Omne quod Dei eſt, id nobis ſancte habendum eſt. Jam aſſumo ego, Non ſolum tempus ſacrum, ſed omnes res ſacræ, Perſonæ, Res, Loca, Dei ſunt. Ergo unumquodq; horum eſt ſancte, ſeu honorifice & veneranter habendum.

CAP. III.

Ventum ad Venerationem ſacram dividendam, & magis ſpeciatim exponendam. Prima diviſio in Internam & externam; utraque illuſtrata. Externa amplius diviſa; & de ea Regulæ.

ITA hactenus definivi, explicavi, & adſerui Venerationem ſacram: ſed id promiſcue & univerſe; nunc amplius videndum, quid ea ſpecierum habet, quid diviſionum, quas certe geminas oſtendit, tum ex ſe, tum ex Objectorum varietate ſumendas. Per ſe dividitur, ut omnis univerſe Veneratio, ita ſpeciatim ſacra in Inter-

nam & Externam: Quarum, quas ſupra finitiones habui, hic inculcare non eſt animus : ſed adaptare rei præſenti. Internam igitur hic dico, Cum interne, & animo rem ſacram habemus peculiarem, differentem & ſublimem : Externam, Cum idipſum externe præſtamus actu aliquo externo ; nempe Oris, Geſtus, Operis. Oris, cum honorifice & pro decoro ſublimitatis ſanctæ loquimur, alloquimur : Geſtus, cum corpus ipſum ſingulari & præcipuo quodam motu, ſitu, habitu quod intus eſt Venerationis effigiat : Operis deniq; cum item præcipuo tractamus modo, nec ſanctis vt vulgaribus vtimur, nec in ijs quæ vulgaria.

De interna modica lis eſt ; forſan nulla. Quicquid ſit, ſolvunt ea quæ ad genus ipſum dixi generatim ; ſufficiat igitur tantum poſuiſſe, non vlterius evolviſſe. De externa major lis : tum an ſit, tum quo modo ſit habenda. Illa nimis quam iniqua eſt, & ſine omni ratione. Quæ enim cogitare fas, & affectu intus concipere : cur non & proferre liceret Ore, Geſtu, Opere? Certe quod iſtis oſtentare & foras repræſentare nefas : etiam concipere, etiam cogitare impium. Argumentatio hæc ſolida eſt & ἀποδεικτικὴ, ſed rem porro præceptis & exemplis evincam, cum ſpeciatim mihi ventum ad Venerationem Locis ſacris aſſerendam ; quæ principue mihi in animo, fateor, cum primum de Veneratione cogitandi animus : nunc in poſtremum rejecta locum, nec ita, vt putavi, prolixe explicanda.

Jam vero alteram illam de Modo litem ; qua forma, quo actuum externorum genere exhibenda.

da.

da Veneratio: eam quidem ancipitem agnoſco, & magis tenebris involutam; mihi quoq; ut difficilem, ita nec tutam explicatu. Quid enim? Naufragium hic multorum video: his Scyllæ alliſa; illis Charybdi abſorpta nave: dum hi Venerationis prætextu idololatriam; illi hujus fuga contemptum inducunt omnis rei ſacræ: adeo ſpecie tenus in multis idem, in pleriſq; ſimillimum eſt, quod externe apparet in Veneratione tam ſacra, quam religioſa: vt fines vtriuſq; incauta miſcuit ſuperſtitio, & terminos movit ab antiquo poſitos. Quos ego aliquatenus dignoſcendi & reponendi ſpe, age, navicula mea audebo per hoc fretum. Sed, ut Augures olim in Cœlo ſignabant partes; ita ego ſpecies in Veneratione vniverſa ad augurium veri.

Omnis Externa Veneratio aut Perſonalis eſt, aut Realis. Perſonalem hic voco, Quæ pura puta actione, id eſt, motu geſtuve corporis abſolvitur: Realem, quæ præter actionem ipſam, rem inter agendum adhibet, aut agendo efficit: ut qui Principem muneris oblatione honorat, Reali honore facit, quia rem muneris adhibet inter honorandum. Prior harum Perſonalis per ſe indifferens eſt ad Deum & humana; & alterutris tribuitur recte, ſi mens & intentio recta venerantium. Realis non item: quod multa hic ſunt ingenio ad Deum ſolum ſpectanti; non autem indifferenti ad Deum & Humana. Hujuſmodi quæ dico, ſunt omnia, quæ aut de re, aut ad rem fiunt ſolius Dei propriam; id eſt, de objecto in ſolius Dei poteſtate & jure, aut ad finem ipſi ſoli peculiarem.

rem. Objectum intelligo, de quo actio quocunq; modo eſt, aut ſignificando, aut mutando, aut efficiendo; ſi hoc enim in Dei ſolius jure fuerit, & actio ipſa erit ad ſolum ipſum. In hoc genere eſt Conſecratio quævis. Eſt enim de re ſacra facienda: at hæc ſolius Dei eſt, & ab reſpectu ad ipſum. Item Sacrificium, quod ipſum quoq; conſecratio quædam eſt, & præterea de re animæ quæ ſubjecta ſoli Deo. Eodem pertinet Primitiarum, & aliarum quarumcunq; rerum oblatio ſive εὐχαριστικὴ pro frugum incremento, pro negotiorum ſucceſſu, *&c.* ſive εὐκτικὴ pro exauditione precum: nam hæc de rebus ſunt in ſolius Dei poteſtate ad conferendum.

Porro, qui externæ Venerationis modus per ſe, vt dixi, & ad Deum referri poteſt, & ad ea quæ alia ſunt a Deo: is, vel ita manet, vt eſt, indifferens; vel ex accidenti reſtringitur, cauſſa vel Circumſtantiæ vel Moris. Cauſſa circumſtantiæ, Dei & ſacrarum rerum fiunt propria, quæcunq; fiunt inter ipſa ſacra. Cauſſa moris, Dei fiunt propria, quæ more & inſtituto legitimo vſurpantur erga ſolum Deum: rerum itidem humanarum, quæ in ſolis humanis rebus.

Ita breviter omnem in externa Veneratione actum explicui & eduxi in conſpectum mentis. Jam in ſingulis, quid fas, quid nefas, ſi mihi cenſere fas, ita cenſeo.

1. Natura ſua ad ſolum Deum pronum, qui creaturis adhibet ad externam venerationem, purus & proprie dictus Idololatra eſt; & tales aſſevero, qui ſacrificant, qui conſecrant, qui vota faciunt creaturis.

2. Quam

2. Quam venerationis ceremoniam vel omnium gentium publicus, vel alicujus privatus mos Deo fecit proprium, extra Deum adhibere Sacrilegium eſt. Ejuſmodi forſan eſt (aliud in geſtu vix memini) oculorum elevatio ad Cælum; ſin minus, tales certe dixerim, iſtos Eccleſiaſticæ melodiæ Pſalmis Deo cantandis peculiariter conſecratos. An non & Organa quæ vocant? amplio.

3. Quod natura alioquin adiaphora, circumſtantiæ tamen cauſſa ſit rerum ſacrarum proprium, qui circumſtantia tali transfert ad res non ſacras, prophanator eſt rei ſacræ. Hæc regula non tolerat ſalutationes, honoris delationes, & allocutiones civiles inter ſacra & in loco ſacro. Nam quæ hæc impietas eſt, cum ad Deum cœperis, ad homines converti, miſſo Deo? Quodcunq; feceris tali loco, tali tempore, ad Deum ſolum faciendum, ſive geſtu, ſive ore, ſive opere.

4. Quod natura pariter & vſu indifferens eſt aut inſtituto humano privatim humanis datum, id fas eſt Deo & ſacris adhiberi: ſi tamen non abfuerit a decoro ſacro. Ut ſi quæ fuerit geſtus decori cæremonia in civilibus tantum adhuc vſurpata, poteſt ea, ſi Eccleſiæ videbitur, etiam Deo adorando adhiberi. Quamvis enim quæ dei ſemel ſunt, noſtra amplius non ſunt, nec debent eſſe; quæ tamen adhuc ſunt noſtra, vel privatim, vel vtcunq; communia; ea ſacrari poſſunt, & Deo fieri propria.

CAP.

CAP. IV.

Altera diviſio Venerationis ſacræ ex Objectis, in Venerationem Perſonarum, Rerum, Locorum, Temporum. In ſingulis aliquid diverſum; præſertim de externis: id leviter oſtenſum.

ABſolvi de Diviſione prima; inſequor alteram, quæ ex Objectis: unde quadruplex mihi exit Veneratio ſacra, Perſonarum, Rerum, Locorum, Temporum. Nam in ſingulis horum, quæ genere vna, ſpecie diverſa eſt Veneratio, propter accommodationem diverſam.

Idq; de vtraq; veneratione verum. Suus enim Internæ eſt in affectu modus: Externæ in effectu mos venerandi. Virum Dei veneror; etiam menſam & altare Dei verenter habeo; etiam alias res ſacras. Atqui lapis eſt, qui eodem affectu lapidem & lignum colit, quo debuit perſonam. Idem de *Loco* & *Tempore* cogita. Veruntamen non negabo, in veneratione interna, vt non facile animadverti, ita difficillime explicari, quam dico, differentiam: & certe, quanta quanta eſt, non aliunde eris diſcernendo, quam ex mente recta, & recto de re veneranda ſenſu. At vero externæ venerationis clara ſunt diſcrimina. Ut enim in rebus naturalibus formarum differentias vix aut ne vix aſſequimur; materiarum oculis vſurpamus: eadem hic ratio: latet quod intus eſt; quod foras prodit, varium ſe prodit & multiforme. Cui rei exemplo illuſtrandæ ternæ iſtæ erunt, quas dedi,

partes

partes huic Venerationi externæ; Oris, Geſtus, Operis. Ab oris Veneratione incipiam. Ea duplex eſt, Loquendi, & alloquendi. Loquendo, honoramus omnem rem ſanctam; alloquendo, perſonas tantum: honorifice enim loquimur de omni re ſacra; perſonas tantum alloquimur honorifice. Geſtus vero aut totius eſt corporis, aut partis. Totius geſtu, id eſt, incurvando aut procumbendo, *&c.* geſtu inquam, ipſo, aut fallor, aut Perſonis ſolis exhibenda: Veneratio, partis etiam, Non perſonis: vt manuum ablutione, quam veteres vſurparunt in ſacris tractandis: aut pedum nudatione, quam in calcandis locis ſacris. At tempori honorando adhiberi geſtum non dixerim, niſi forte ſolenne illud feſtis diebus in veſtitu & ornatu ſtudium huc referrem. Veneratio deniq; ſeu Sanctificatio operis, ea quidem, quod ad Perſonas, in officio ſita eſt erga perſonas: nimirum aut ipſorum erga ſe, aut aliorum erga ipſos: quod vero ad Res, & reliqua Sacrorum genera, in vſu eorum ſacro, nempe Rerum, Locorum, Temporum. At in omnibus hiſce ſuus cuiq; generi proprius debetur vſus, opus proprium. Perſonæ ſunt ſacris tractandis & adminiſtrandis. Res alendis perſonis, aut alias inſerviendo ipſis; quarum abuſus ſacrilegium dicitur: In Locis deniq;, & Temporibus ſacris ſacra fiunt decore, fiunt ordinate.

CAP.

CAP. V.

Reliquis omiſſis, Locorum & Templorum Veneratio accuratius, & diſtinctius explicatur: eam duplicem eſſe; Rei & Circumſtantiæ rei: de utraq; dictum: & de precibus privatis, quatenus & quare in Loco ſacro habendis.

SED omnia hæc ſingillatim percurrere nec audeo, nec poſſum; Unicam mihi ſeligam Locorum & Templorum venerationem ſacram; in quam altius penetrabo, & navigio meo, ſi poſſim, tranſibo iſtud fretum. Primum autem genera quædam ejus, ſeu modos monſtrabo; vt ſcias quid tuebor: muniam deinde rationibus & autoritatibus, tam ſacris quam eccleſiaſticis.

Veneratio igitur Loci ſacri alia Rei eſt, alia Circumſtantiæ rei. Illa eſt, cum res ipſa, ſeu id, quod fit immediate, fit in honorem loci. Hæc, cum res ipſa Deo quidem fit; & in honorem ſolius Dei: circumſtantia vero rei accommodatur in honorem Loci. Vel ſic. Veneratio a circumſtantia eſt, cum actus quidem ipſe Deum, eumq; ſolum, ſpectat; circumſtantia vero agendi honorem loci. Illius exemplum apud nos *capitis apertio*; apud *Orientales*, præſertim *Judæos*, *nudatio pedum*. Vel ideo, quod hæ corporis partes videbantur maxime locis honorandis aptæ, quibus ipſa loca inſiſtimus & premimus; vel quia omnis reverentia humiliatio quædam eſt; hic autem ritus fuerit humiliationi ſignificandæ, vt apparet ex

ex 2 *Sam.* 15. 30. *Ubi Davides & populus* cum ipſo luxerunt, obvolutis ſeu opertis capitibus, & nudis pedibus. Vt vt ſit, hunc ritum vſurparunt etiam Deo monente, *Moſes* & *Joſua:* nec abnuit hodiernus *Judaiſmi* mos, nec Mahumeticæ blaſphemiæ ab Arabia. Poſterioris modi exempla ſunt preces, ſacrificia, adoratio, & quæ his ſimilia, ſacra officia in Loco ſacro, aut eo verſus peragenda. Nam preces ipſæ, &c. Deo ſoli fiunt, & ipſis Ipſum ſolum veneramur: circumſtantia vero precum, quod hic loci fiunt, quod huc vel illo verſus; id Loco eſt honori ἀμέσως, ἐμμέσως Deo: quod Loca ea Loca Dei ſunt, & propter Deum honoranda.

Ut qui Cælum verſus orat aut adorat, non ideo Cælum adorat, ſed Dominum Cæli: ita neq; Locum, neq; *Menſam* Dei, aut myſticum Sacramentum, qui in, aut coram illis orat, aut verſus illa.

Ut autem illic, geſtus circumſtantia, reliquis mundi partibus præferri Cælum in honorem quendam expetit Cælo: idem hic puta; tum honorifice & ex decoro ſanctitatis haberi Loca & Myſteria ſacra; cum in ipſis habentur, aut ad ipſa, quos Deo præſtamus actus ſacros. Cogita enim mihi tempus ſacrum: vt comparando invicem illuſtriora evadant, quæ velim. Vult Deus vt ſancte habeatur, ſeu honoretur Dies ſeptimus. At qui tandem hoc aut melius fiat, aut magis ad Legiſlatoris mentem, quam Religionis exercitio & cultu Dei publico. Sed nemo idcirco dixerit Diem ipſum religioſe coli, quinimo Deum in die:

colendi vero circumſtantia honorari ipſum diem. Idem hic cenſe; Cultu ipſo Deum, circumſtantiarum accomodatione in cultu & ipſum honorari locum, & deberi honorari, quia Dei locus. Unde non immerito hic ſententiæ nimium ſeveræ reos egerim, qui ſuperſtitionis damnant omne precum privatarum ſtudium in Locis ſacris. Mihi certe adeo per ſe nihil ſuperſtitionis habet, vt Venerationis hujus, quam jam ingero, partem dixerim, & hujuſmodi ingredientibus Loca religioſe affectandum. Non quod a loco accedit precibus efficacia, ſed quod Loco honor a precibus. Actubus enim mere civilibus & alienis, etiam privatis, profanantur Templa: quidni ergo religioſis honorentur? Quod igitur Nuptijs conciones nuptiales, quod Funeribus funebres, quod Martyrum Cœmiterijs Synaxes veterum Chriſtianorum: id Loco ſancto preces, ſingula, inquam honori ſingulis adjunctive (ſic loquar) non objective; non a re facta, ſed a circumſtantia faciendi.

CAP. VI.

Eſſe Venerationem ſacram, etiam externam ſacris Locis exhibendam, monſtro ratione, præceptis & exemplis tam ſacris, quam eccleſiaſticis.

DIxi de modis Venerationis Locorum. Jam aſſero ipſam argumentis ſpecialibus & privatis. Nam communibus feci, cum de Veneratione

dixi

dixi communiter. Aio igitur Venerationem etiam externam ſacris locis exhibendam: idq; primo affirmo ab impari. Quid enim? Thronum regium honoramus nos caput aperiendo, ſuo modo alij: quia ſcilicet dicatur præſentiæ regiæ; quanto magis Locum divinæ præſentiæ ſacrum? Imo regis Thronum veneramur vel abſente rege; propterea quod ibi ſoleat Rex ſeſe oſtentare populo; quanto magis Locum ſacrum, etiam cum non fiunt ſacra; ideo quia ſoleant ibi fieri?

At inquies, præceptum volo aliquod e ſacris literis. Audi igitur Deum ad *Iſraelitas*, *Levit.* 19 30. *Sanctuarium meum reveremini*. Interne inquis; imo etiam externe: quod enim animo facere, *cur non & foras teſtari liceat*? Audi etiam e rubo ad *Moſen*, *Ex.* 3. 5. *Extrahe*, inquit, *calceamenta tua a pedibus tuis; nam locus in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Quod ne aliorſum capias, quam de Loco ob præſentiam Dei ſancto, externa hæc cæremonia venerando, Juſtinus Martyr teſtis eſt, idem eodem fine a Gentibus factitatum, ab imitatione, vt ille putat, *Moſis*; nos liberius Patriarcharum ante *Moſen*; & quod nuper monuimus, veſtigia hujus moris cernere eſt hodie in Synagogis *Judæorum*, & in Turcarum (vt illi Templa vocant) Meſchitis *Quin & ratio huic præcepto adjuncta minime prætereunda eſt. Nam Locus*, inquit, *in quo ſtas, terra ſancta eſt*. Ergo omnis locus ſanctus (hic major erit Syllogiſmi) etiam externa cæremonia venerandus eſt. *Solomonem* porro audi, *Eccl.* 5. 1. *Cuſtodi pedem tuum, cum intraveris Dei Domum*. Cur autem pedem? innuit proculdubio ritum iſtum *Apol.* 2.

 pedes

pedes excalceandi. At ego non negarim etiam internam venerationem hic intelligi tropicῶs: neq; tu pariter externam mihi nega, cum hanc verba ipſa præferant; non adeo illam vt maxime ſit ipſo operæ præferenda.

At exempla forſan vis. Vide mihi *Jacobum Betheli* a ſomno experrectum, timentem, & talia referentem, מנורא *quam reverendus hic Locus*? quare autem reverendus? *quia*, inquit, *Jehova eſt in hoc Loco*, *v.* 16. *Dei domus eſt & porta Cæli*, *v.* 17.

Verum inquis, agnoſco hic Locum ſacrum: agnoſco internæ venerationis exemplum; externæ nondum video. Non vides? quid? in talia verba prorupiſſe, ſtatuam erexiſſe, oleo imbuiſſe; aut hæc externa ſunt dicenda, aut ego tantundem video. Nec his inſiſto. *Iſraelitarum* exemplum attexo. Quos *Moſes* ex dei præſcripto inſtituit, quemadmodum ſe compararent ad Deum in monte Sinai conveniendum, *Ex.* 19. *Sanctifices eos hodie & cras*, id eſt, *Jubeas ſe ſancte habere*, *v.* 10, *Eſtote parati*, *v.* 14. Primo interne proculdubio; deinde vero externe: primo abſtinentia, *ne accedite ad Uxores. v.* 15. ſecundo munditia *extraordinaria*, *Lavent veſtimenta ſua*, *v.* 10. tertio de geſtu ſeſe ſingulariter comparando, *v.* 12. *Cavete vobis ne aſcendatis in hunc montem*, *attingatiſve finem ejus*: quicquid *attigerit hunc montem*, *omnio morte afficitor*. Nimirum eo fine totum hoc factum eſt, vt mons ille, ſuper quem Deus viſibiliter deſcenſurus erat, ſanctificaretur. Ut liquet, *v.* 23. *Conteſtatus es nos*, inquit *Moſes* ad Deum, dicendo *Terminum pone huic monti*, *ut ſanctifi-*

ces

ces illum; Id eſt, ſanćte habeas & venereris externe: idq; non tantum vt pateſcat, ſed creſcat etiam interior affećtus hoc adminiculo. Plurane exempla poſcis? eoſdem *Iſraelitas* adjunge, ad oſtia Tabernaculorum ſuorum adorantes, cum nubis columnam deſcendentem viderint: ipſam quidem nubem nequaquam adorantes, ſed Deum; at verſus nubem quod ibi Deus, id quod ad Venerationem a circumſtantia ſatis eſto.

Quid dicam Sacerdotes *Iſraelis* pedes ſuos lavere ſolitos, quoties Sanćtuarium ingrederentur & altare Dei accederent? nimirum vt ſanćte premerent, & calcarent ſanćtum pavimentum. Non tamen ego hanc vel illam externæ venerationis formam urgeo: ſed externum tantum, quacunq; forma, urgeo; modeſta modo ſit & decora. His omnibus factum Servatoris addo. Nam ille numularios, mercatores, & reliquam fecem cum ab atrio templi ejecit, ſatis profećto indicavit, Templum ſuum quam noluit profanari, quam voluit honorari externis illic peragendis.

Et ne forte exemplum antiquioris ævi Chriſtianum deſideres; illud unicum, cæteris omiſſis, habe, quod *Greg. Nazianzenus* in Oratione pro patre funebri refert & laudat de matre ſua *Nonna*; Eam quidem Templum Dei adeo eſſe reveritam, vt in eo ne quidem vocem emitteret, niſi de rebus myſticis & divinis; neq; vnquam tergum altari obverteret, aut ſacrum pavimentum conſpueret, ſubjicit, hæc fortaſſe multis res tenuioris momenti videri, ſibi vero πίσεως ἑυρήμα-

τα ϗ πνευματικῆς ζέσεως ἐγχειρήματα. Deniq; ut tandem hujus probationis deſinam, ſi eccleſiaſticam ſententiam non defugias, vnaq; ſcires, quam ſunt hæc ſana mente a me hucuſq; defenſa; audi patres Gangrenſes contra Euſtathium quendam Templorum contemptorem ſic ἐπιλογιζομένους prorſus ad meum ſenſum, Τοὺς οἴκους, inquiunt, τοῦ θεοῦ τιμῶμεν. καὶ μὲν τὰς Συνόδους τὰς ἐπὶ αὐτοῖς, ὡς ἁγίας ϗ ἐπωφελεῖς ἀποδεχόμεθα· οὐ συγκλείοντες τὴν εὐσέβειαν ἐν τοῖς Οἴκοις, ἀλλὰ πάντα τόπον τὸν ἐπὶ ὀνόματι τοῦ Θεοῦ οἰκοδομηθέντα τιμῶντες. Audi; non ideo honorari ab ijs Templa, quaſi religionem omnem ipſorum parietibus putarent incluſam, (hoc neq; nos putamus) ſed honorari tamen, quia in Dei nomine ſunt ædificata, id eſt, Deo conſecrata, obligata, addicta, in qua ſana & religioſa ſententia nos acquieſcimus: ad eamq; exigi patimur, quæ hucuſq; diſſeruimus omnia.

CAP. VII.

Vltimo dividitur Veneratio ſacra Locorum, in eam quæ Reverentiæ, & quæ Ornatus. De priore hactenus dictum. Ornatum eſſe duplicem, Magnificentiæ, & Munditiei. Illam Templis deberi probatum, & quatenus.

PORRO vniverſam, quam Templis & ſacris locis aſſero Venerationem, tu adhuc duplicem intellige

intellige, Reverentiæ & Ornatus. Reverentiam appello, quæ & proprie Veneratio eſt, & fere ſola in ſuperioribus explicata. Ornatus autem, cujus nunc tractationem adorno, & ipſe Veneratio quædam eſt; quamvis non adeo princeps: Honorat enim, qui ornat: imo Ornamentum honoramentum ſi dixero, grammaticam analogiam vt minus ſequar, de re ſcio me dicturum ἀναλόγως. Ornatum vero requiro duplicem; vnum ex ſtructuræ ſplendore & magnificentia, ex munditie alteram. De Templorum autem magnificentia dicturus; vt caveam, quæ in hac cauſſa multi in hanc vel illam ornatus ſpeciem importuni objiciunt; non ſimpliciter, ſed comparate definio de Modo, & Menſura ornatus ſacri: videlicet, Dei Domum eſſe debere æque, imo magis, quam privatæ aut profanæ, magnificam. In Urbe Templum ædificas? pulcherrimum id ſit omnium in Urbe Palatiorum. In Villa? æquet, imo vincat reliquas in villa ædes. Ratio mihi talis; quia Deo dignum non fuerit, quod non ſit in quocunq; genere rerum optimum & digniſſimum. Contra feceris, eandem reportabis gratiam ijs qui cæcum & claudum obtulerunt in ſacrificium: *Ut vultum tuum non ſuſcipiat Cœli princeps*; imo nedum in honoris, ſed contumeliæ partem interpretabitur, quod tu terræ hujus incola Deo te prætuleris; Cænum Cælo, *creaturam Creatori.* Nam Deo ſeſe meliorem & majorem facit, quiſquis quod malum eſt ipſi offert, aut minus ſuo bonum.

Age jam, ſatin' validum videtur hoc telum, ſatin' firmum argumentum, quod a Dei excellentia

progrediur

progreditur ad Eorum, quæ Dei ſunt, excellentiam? quod ſi, ut ut per ſe ſatis validum, a jacientis tamen manu videatur imbecille; age iterum, dabo non a mea, ſed a ſacra manu jaculatum. Ego, inquit *David*, 2 *Sam.* 7. *Habito in Domo cedrina, dum arca Dei habitat inter aulæa*, quaſi diceret, prorſus indignum eſſe, vt Dei Domus magnificentia cederet, vel ipſis regum palatijs. Simile eſt 1. *Hag. An tempus eſt vobis deſidendi in domubus veſtris contabulatis, quum domus hæc mea vaſta eſt?* Etiam hæc expoſtulatio ducitur a comparatione Dei cum hominibus. Ut Deus hominibus major; ita majori ſtudio, opera, ſumptu exornanda domus Dei, quam Domus hominum. Eodem ſpectant *Solomonis* ad Hiramum verba, 2 *Chron.* 2. *Domus quam ædificaturus ſum, magna erit*, (rationem audi) *quia major eſt Deus noſter omnibus Dijs.* Item 1 *Chron.* 29. *Solomon filius meus* (Davidis ſunt verba(*puer eſt & tener* : *Opus vero hoc magnum eſt* (*etiam hic rationem nota*) *non enim hominis iſtud palatium, ſed Dei eſt.* Cui per omnia conſonum eſt ejuſdem effatum, 1 *Chron.* 22. *Domum Jehovæ ædificandam oportet eſſe ſumme magnificam.*

Pergo, & ſecundum argumentum adtexo, id a fine ſumptum; nam a fine menſuram accipiunt media quæ ad finem. Cum igitur finis ſacer ſit, omnium finium nobiliſſimus; & loca huic fini data, debent eſſe cæteris nobiliora locis, id eſt, illuſtria magis & magnifica.

Viciſſe ſatis mihi video binis hiſce copiis: Jam leviora jacio tela, primum a Pari. Templa enim

moris

moris eſt, ut non ingrediamur, niſi amictu ſolito ſplendidiori; in honorem ſcilicet aut ſacri conventus, aut Dei, loci præſidis: Cur non æq; deceret ipſum Templum communibus ædificijs antecellere? Alterum a nomine; quod Hebræis היכל Templis, & Regum palatijs commune eſt. Magno ſane argumento vt olim fuiſſe, ita hodie debere eſſe Templa magnificentia vel regum palatijs comparanda. At inquis, huic nominis communitati occaſio forte præbita a Templi *Solomonici* magnificentia? Imo aio, ante natum *Solomonem* ὁμωνυμίαν iſtam natam; nam etiam Syrorum idioma, quod ab Hebræo deflexum eſt, de utroq; dicit ſuum היכלא de palatio quidem, *Ezra.* 4. 14. de Templo tam *Hieroſolymitano* quam *Babylonico*, *Ez.* 5. 14. de Solymitano etiam 6. *v.* 5. in decreto Cyri: de Templo & Palatio, *Dan.* 5. *v.* 3. & 5. Quod ego ab Hebraico vſu traductum dixerim, vna cum Syriacæ ortu ab Hebræa. Ideoq; Syriacæ linguæ primordijs antiquiorem regiam templorum magnificentiam affirmo, id eſt coævam certe Patriarcharum ævo.

CAP. VIII.

Objecta & rejecta ea quæ contra Templorum magnificentiam dicuntur: non typicam eam fuiſſe. De pauperibus objectio invalida; & quatenus templa ſpolianda; neq; a Patrum ullo damnatam, &c. De Munditie dictum. Rem ἱεροπρεπῆ eſſe. Sermonis totius concluſio.

JAM porro fumi objectionum mihi tollendi, qui obfuſcant hunc ſplendorem. Typicam enim ais fuiſſe hanc magnificentiam; vtq; Templum ipſum Chriſtum ἐνσαρκῶ θησόμενον, & Deum in carne habitaturum, ita & ornatum figuraſſe excellentiam & perfectionem hujus carnis, ſeu humanitatis Chriſti. Audio, at vero neq; omnis Templi finis incarnationi figurandæ: qua vnicum fateor; qua Domus Sacrificiorum fateor, non qua Dei & Orationum. Quid igitur tu ornatum ad typi ſolius partem refers? Apage conjecturas. Annon *Davidem* & *Solomonem* credis operis ſui ſcopum pervidiſſe? age igitur, iſtis arbitris judicetur lis iſta. *Davidem* roga, quare *opus illud tam magnum*, aut magnificum futurum; reſpondebit, 1 *Chron.* 29. *Non enim hominis iſtud palatium*, ſed Dei eſt. *Solomonem*? *quia inquit*, 2 *Chron.* 2. *Major eſt Deus noſter omnibus Dijs.* At hic fines, hæ cauſſæ cæremoniales non ſunt, ergo præcipuæ ſaltem magnificentiæ iſtius ſcopus θεοπρέπεια moralis erat, non cæremoniale θεανδρικόν.

At magnam nobis invidiam conflatum eunt de pauperum indigentia Indignum enim eſſe, vt auro ſplendeſcant Templa illa externa, dum viva Spiritus ſancti habitacula fame contabeſcant, & inedia: in pauperes vt ſimus lapides, nimium in lapides profuſi. Fatebor equidem, nec invitus, in Templa non inſumendum, quod alibi potius, aut melius collocandum: bonum enim quod facit, vt non fiat quod magis bonum, bonum non eſt; malum cenſeo. At interim meminerint velim hujuſmodi ſermonis autores, nos non ſimpliciter, ſed comparate locutos de Templorum ornatu: ne minus ſint, quam hominum ædes ornatæ. Deinde non templa ſola hoc quod intorquent ariete, ſed & regum conquaſſari palatia, ſed multas privatorum ædes. Pauperes indigent? quin igitur tu ædes tuas dirue, quin Regum & nobilium palatia demolire. Pauperes, indigent? quid igitur tibi tantus aulæorum apparatus, & tapetum? Quid tot contignationum & concamerationum deliciæ? quid reliqua ſupellex otioſa, ornatus ſupervacuus? Aufer, aufer hæc, inquam; ſine quibus & tu honeſte, & in eleemoſynam verſis pauper vivat melius. Adhuc ſi indigeant pauperes, cauſſam non dico, quin templis omnem ornatum auferas; imo ipſa: non enim pro templis homines, ſed pro hominibus templa ſunt condita: vt in re Sabbatica huic ſimili dixit Servator. Vt enim *Davides*, ſi aliunde habuiſſet quod comederet, ſanctos panes non attigiſſet: ita nec tu extra hunc caſum, quæ Deo immediate ſacra. Quamdiu aliunde veritas poteſt confirmari, Deus non eſt eo

advocandus juramento. Dum alijs res dubia diſceptari modis, ad Sortes non eſt recurrendum: quippe hoc eſſet temere Dei nomen ſumere, & profanare quod ſanctum eſt. Idem hic puta, niſi extrema urgeant, nec ſpolianda ſacra, nec minuenda.

Huic ſententiæ tale do fundamentum. Bonum omne, ſeu finis quo agendo collimamus, tripliciter dividitur; in Neceſſarium, Commodum & Jucundum; quorum Jucundum Commodo cedit; vtrumq; Neceſſario. Nobis autem Ornatum, & magnificum ſupplet Jucundi locum. Eſt etiam Bonum aliud privatum, aliud publicum: publicum item ſacrum, & profanum; hic privatum publico cedat, ſacro profanum: Sin autem miſceantur hæc, ac privatum & publicum, ſacrum & profanum alternaveris cum Neceſſario, Commodo, Ornato: tum certe Neceſſarium, quale per ſe honeſtum eſt, prætulerim cuicunq; alterius generis bono, etiam privatum publico. Reliqua vero ſic ſenſeo; vt Commodo civili præponderet ſacrum; ornatumq; hujus, illius ornato; præterea magnificentiam & ornatum ſacrum, vt æquem ſaltem commoditati civili.

Pauperibus igitur ſubveniendum putas? Idem & ego puto: honeſtum enim eſt, & neceſſarium factu bonum. At hoc ex ijs fieri poteſt, quibus jucunde habemus? parcatur ijs, quibus commode ex privato? parcatur publico, ex profano? parcatur ſacro. Aliter ſi feceris, profano ſacrum poſtpoſueris, id eſt, Deum hominibus. Sed pergunt nobis adverſari, & Patrum quoſdam aiunt in

hunc

hunc quem nos tuemur ornatum effatos multa. At vero Patrum dicta nihil ad nos; qui nullum ornatum in ſpecie ponimus; ſed anteponimus, quam haberent ſacra magnificentiam, ei quam habent non ſacra; imo Patrum horum argumentis, non templorum magis, quam civilium ædificiorum ornamenta perſtringi. Deinde, nego Patres iſtos Templorum ornatum per ſe, & abſolute damnare; ſed immoderatum, ſed indecorum, ſed gravioris momenti rebus prælatum, ſed ſuperſtitioſum, & mala mente ſuſceptum. Ipſos vide, & in verbis eorum diſerte hoc ipſum. In ſumma, quod Chriſtus Phariſæis menthæ & anethi decimationem ſatagentibus, & graviora legis omittentibus; idem illi ingerunt ſui ævi Phariſæis, Graviora quidem illa præcipue facienda, ſed minora hæc non omittenda.

Atque ita jam plene abſolvi de Magnificentia; tranſeo ad alteram quam feci Ornatus templarij ſpeciem, Munditiem ſcilicet; rem cum primis ἱεροπρεπῆ, & ſacra decentem maxime. Argumenta communia, quæ multa poſſem, taceo; propria tantum ingero. Et primo Præſentiam divinam minime decere Immunditiem; quod adeo verum, vt de *Iſraelitarum* caſtris idem mandaret Deus, propter ſingularem in ijs præſentiam. *Quia*, inquit, *Jehova indeſinenter ambulat in medio caſtrorum tuorum, eripiendo te : ideo caſtra tua ſancta ſunto, neq; conſpiciat in te turpitudinem ullius rei, ne avertat ſe a te, Deut.* 23. *v.* 15. Secundo, Templa honorifice habenda ſunt; at Immundities extremum contemptum, & viliſſimam vilitatem arguit.

guit. *Quare Jehu*, 2 *Reg.* 10. *v.* 25. Contumelia quam potuit graviſſima affecturus Ædem *Baaliticam*, in latrinam vertiſſe dicitur. At ille *Baalis* Templum, nos Chriſti, (proh pudor) templa in latrinas vertimus; adeo nobis in Deum ignominia non eſt, qua vix majorem in Dei noſtri Blaſphematorem ſtatuere potuit *Nebuchadnezzar* Rex, quam vt domus ejus in latrinam, aut ſterquilinium redigeretur, *Dan.* 3. 29. Poſtremo, adeo Templis munditiem convenire putavit magnus ille Gentium Doctor; vt corpora fidelium templis aſſimilans, argumentum inde duceret de iiſdem morum & vitæ impuritate non temerandis. *Qui ſcortatur*, inquit, *in proprium corpus peccat: an ignoratis corpus veſtrum eſſe templum Spiritus* S. 1 *Cor.* 6. 19. Item 2 *Cor.* 6. *v.* 16, 17. *Vos templum eſtis Dei viventis*; *quapropter* impurum ne *attingite*. Si imaginem Templi non deceat Immundities; multo minus decebit ipſum.

Atque ita finio de Templis, & de omni Veneratione ſacra. In qua, ſi vere ſenſi, ſi Sapienter judicavi; Te Veneror O prima Veritas, O Æterna SAPIENTIA.

PROBLEMA

PROBLEMA.

AN Alea ſit Sortitio.

DE Alea Προβληματιον inſtruo, quam multi Sortitionis damnant. *Mihi non videtur damnanda:* Tu contra ſentis. Age igitur, pugnæ aleam tecũ experiri libet de hac alea: non quidem, vt ipſam, (cui enim hoc bono) ſed vt Sortitionem vindicem; cujus vim & dignitatem multi dum non intelligunt, Aleæ congenerem fecere. Nec certe ſuperioribus diſſonum eſt, quod aggredior, nec a bonis moribus alienum; ſiquidem Sortitio divinum quid eſt, & ſacrum; imo pæne dixeram, Sacramentnm. De moribus, ne quis forte propoſitum meum aliorſum abripiat; rerum ſuarum decoctoribus, &, quas ſerijs debebant, horas Ludo collocantibus nullus hic patrocinor: imo de ludo prorſus litem non inſtruo; ſed de Alea quæ in ludo. Neq; de hac quæro, an liceat, ſed an Sortitio dici debeat: quid autem ſi non debeat? non inde ſequitur Aleæ ludum eſſe licitum; ſed per hoc non ſtare, quo minus non ſit licitum. Me quod attinet, de ludo ſi quæras, vere teſtari poſſum experiendo me vix noſſe: imo nec nimis probare rem ad vſum tam inutilem, ad abuſum

abuſum tam proclivem. Sed cum Chriſti Natalitijs, aliis, vt fit, huic Divæ ſedulo & ſolenni er operantibus, alios abhorrere cernerem; ne, quod dicerent, nomen Dei prophanarent temere ſortiendo: cœpi rem altius mecum revolvere, in cauſſam totam inquirere; unde natum mihi hoc ex ludo ſerium, ex re levi non leve momentum.

Hactenus ad invidiam declinandam præmonui quæ vellem. Jam negotio accingor; & primo, pro more meo, Queſtionis terminos libabo, atq; illuſtrabo: dicam enim quid ſit Alea, quid Sortitio: & tum facile patebit, an Alea ſit Sortitio.

Aleam igitur intelligo neq; Ludum ipſum, neq; ea quibus luditur, ſeu teſſeras, ſeu chartas pictas; ſed quodcunq; eſt in iſto luſus genere, ſive motus fortuiti, ſive tractationis, quo ad ludendi finem pervenitur. Fortuitum, inquam, dico Aleam: non tamen omne fortuitum, ſed ſpeciale illud, quod in ludo eſt. Atq; hæc Alea, ſeu hoc in motu luſorio fortuitum, vel motus fortuitus quem in teſſeris talorum jactum nominant, illud eſt de quo quæritur, an ſit Sortitio. Mallem enim ſic Quæſtionem informare, quam quærere, an Aleæ ludus ſit Sortitio. Namq; omni dubio procul, quod Ludus eſt, Sortitio non eſt; Cum Ludus & Sortitio vix prædicamento, nedum genere aut ſpecie conveniant: quod tamen præ ſe ferre videretur hujuſmodi prædicatio in caſu recto, & in quid.

Sed jam ad Sortitionem pergo; vbi quia magnum video cauſſæ meæ momentum eſſe poſitum; breviter quidem, ſed explicatius paullo, & magis partite agam.

Sortitio

Sortitio igitur concretum quid notat, nec rem unicam & ſimplicem dicit, ſed duas, eaſq; natura diſcretas, quas a ſe invicem ſecernere, & menti contemplandas proponere erit operæ prætium.

Sortitionis ſignificato quiddam Materiale, & quiddam Formale ineſt. Materiale dico, Actionem iſtam, ſive motum, quæ in omni Sortitione neceſſum eſt adhiberi: Formale indigito Relationem quandam actioni huic, ſive motui adhærentem; quam denominatione magis abſtracta, Sortem appellaverim. Nec interim me fugit, ad alia quoq; ſignificata extendi hujus vocabuli vſum. Nam & notæ, ſeu quibus ſortimur, nuncupantur Sortes: item Τὸ πρᾶγμα λαγχάνον, id quod ſorte obvenit, Sors dicitur; quin aliquando hæreditatem, & in vſura quod præter vſuram eſt, Sortem appellamus. Jam quod Latini Sortem, id Græci Κλῆρον vocant; neq; magni facio, quod ad meum inſtitutum, quæ alij de originatione utriuſq; afferunt, eſſe nempe Sortem a ſerie κατ' ἀντίφρασιν dictam, quod minime ſeriem, id eſt ordinem ſervet. Κλῆρον vero a κλῶ factum, quod frangit, hoc eſt, dirimit lites & controverſias.

His igitur vocabulorum putaminibus relictis, de nucleo, id eſt, de ipſa rei natura & eſſentia videamus. Et quoniam concreti notitia tota pendet ex cognitione abſtracti; ideo cum Sortis naturam explicavero, de Sortitione non opus erit ut vltra ſim ſolicitus.

Sors igitur cum ſit in genere Relationum, ad

harum legem ego ſic definiverim, *Signum* θεόθετον *invocatione nominis divini tacita vel expreſſa inſtituendum, quo calculorum aut aliarum ex conventione rerum fortuito motu, & exitu, ſpeciali providentia gubernantis Dei, reſponſum pie, nec temere conſulentibus patefit, ut ignota manifeſtentur, & dubia diſceptentur.*

Definitio hæc aliquanto Prolixior eſt, ſed id propter rei definitæ naturam, quæ ejuſmodi eſt, ut propter eſſendi imbecillitatem pluribus indi-
In Pſa. 30. geat fulcimentis. D. *Auguſtinus* brevius, ſed ad meum ſenſum, *Sors eſt*, inquit, *res in dubitatione humana divinam indicans voluntatem.*

Sed, ut facilius & diſtinctius omnia capias, quæ definitio in unam ſententiam contraxit, ea ſingula mihi ſeorſum, & explicatius ſunt exſequenda. Dixi igitur primo Sortem Signum eſſe, ſeu Signationem: idque his tuebor rationibus. Nam primum id nemini dubium eſſe puto, quin Sorte aliquid patefaciendum & notificandum quæratur: at vero quod patefacit & notificat, id ſignificat, (æquipollent enim ſignificare & notificare) jam quod ſignificat, nonne id, quæſo, ſignum eſt? Idipsum liquet ex Sortitionis exemplo Actorum primo; Ubi ab invocatione numinis exorſi, *Tu Domine*, inquiunt, *qui omnium corda rimaris & perſpicis*, ἀνάδειξον, *oſtende utrum horum elegiſti.* Ecce hic Deus oratur, vt Sortibus tribueret vim illam τοῦ ἀναδεικνύειν, Oſtendendi, & ſignificandi. Res clara eſt, nec ultra poteſt eſſe dubitationi locus. Signa porro contemplor, & eorum duo video

eſſe

eſſe genera: quædam φυσικὰ, quæ nempe a natura habent, quod ſignificent: quædam vero θετικὰ, ut quæ, non tam ex naturæ vi, quam ex inſtitutione divina, vel humana vim illam nanciſcuntur. Eſt igitur Signum θετικὸν duplex, divinum & humanum; divinum voco, quod a Deo; humanum, quod ab hominibus.

Jam Sortem Signis θετικοῖς accenſeo; non quidem ijs quæ a nobis, ſed quæ a Deo sunt: idcirco dixi Signum θεόθετον, id eſt, a Deo inſtitutum. Nam quæ noſtra vis tantum in Deum valeret, vt Deo ſententiam & oraculum eliceret ſine Deo? Ille certe nobis adeo obnoxius non eſt, ut noſtris legibus & conventionibus ſe præbeat audientem.

Porro, quatuor numerantur in quibus ſubſiſtit omnis, quæ Relationi ineſt, vis eſſendi; Subjectum geminum, relatum & correlatum; Fundamentum, quæ fundatrix Relationis cauſſa; & Terminus, qui etiam finis dicitur. Hæc jam ego ſi Sorti adaptavero, Relatum erit, Fortuitus ille calculorum motus, atque exitus; (hic enim ſignificat,) Correlatum, Reſponſum, ſeu judicium divinum (hoc enim ſignificatur) vnde & nomen Sortium Latinis factum eſt Oraculorum commune: & revera quid aliud eſt ſortiri, quam oraculum Dei ſciſcitari? Fundamentum Sortis duplex eſt, partim a Deo, partim a nobis. A Deo iterum duplex, remotius, proximius. Fundamentum remotius eſt Inſtitutio divina. Sortes autem

 a Deo

a Deo inſtitutas patet, quod in vtroq; Teſtamento earum vſus ipſi approbetur, & alicubi etiam mandetur. Fundamentum proximius eſt Specialis, & immediata Dei providentia, Sortes ita gubernans, vt voluntati ſuæ & rebus reſpondeant, atq; adeo quod ipſi ſoli notum ſit, indicando ſint, & patefaciendo. Hinc illud in Proverbijs, Sortes jaciuntur in ſinum, ſed *diſpoſitio eſt a Jehova*. Nam Sortes Deus regit ſpeciali manu, & virtute extraordinaria; alioquin quid novi aut proprij dixerat *Solomon*; cum nihil in toto mundo ſit, quod non a Dei providentia gubernetur, ſed communi & ordinaria, non vero ſpeciali iſta. Quæ enim vis potuit in *Jonam* Sortem dirigere, niſi ejus ſolius qui ſolus noverat *Jonam* reum? quæ vis Saulem ex tot millibus regem renunciare, niſi ejus qui jam prædixerat Saulem fore regem? Interim, cum immediatam Dei providentiam dico, Angelorum miniſterium non excludo, ſed ordinarias fortuitorum cauſſas cæcas, improvidas, ignotis & obſcuris per ſe, nec prævidendis, nec patefaciendis aptas. Atq; hactenus de Fundamento, ex parte Dei. Fundamentum ex parte noſtri eſt Invocatio numinis, quando Sortes ſunt mittendæ. Quod luce clarius apparet ex Sortitione illa Actorum primo, quando novus Apoſtolus ſubrogandus erat in locum *Judæ* proditoris: textus habet, ϰ̀ προσευξάμενοι εἶπον, & precantes dicebant. Id ipſum quoq; factum, cum *Saul Jonathanem* ſorte deprehendit reum comeſti mellis, & voti non ſervati. Terminum deniq; ſeu Finem poſui, ut ignota manifeſtentur, & dubia diſceptentur,

quod

quod cum ſit per ſe clarum, non ego vlterius exſequar.

Quod autem ſupra dixi, Relatum Sortitionis, ſeu id quod ſignificat, eſſe Fortuitum calculorum motum, & exitum ſpeciali providentia gubernatum; id ſi quis miretur, qua mente dixerim, ita me vindicabo & tuebor.

Fortuitum voco Illud in actionibus voluntariis, quod non pendet a voluntate: exemplum dabo. Pilos ſi capiti meo excuterem, pilos quidem excutere eſt actio voluntaria: vt tamen hoc vel illo modo in aere volent, aut in terram decidant, id fortuitum eſt; quia non pendet ex voluntate excutientis: At non ſi a voluntate non pendeat, idcirco a nulla cauſſa pendet. Alias enim, & id frequentius, ex quadam naturalium cauſſarum cohærentia fit: quarum tamen ordini, quod certum non ſervent ordinem, nos nec præſtando ſumus, nec perſpiciendo. Alias autem, ſed rarius, ad immediatam quandam Dei providentiam referri debet, quod nobis eſt in actionibus noſtris fortuitum, id quod in Sortibus fieri dico, & alijs eventibus rarioribus.

Nam qui in teſſerarum jactubus & ejuſmodi fortuitis idem fieri dixerit; nimis ille improvidus erit. Cui enim hoc non valde abſonum videretur, Deum in actionibus levibus, & nullius fere momenti rebus (nam talia ſunt multa fortuita) ſpeciali & immediata potentia agere, id eſt, miraculoſe; in gravioribus vero uti ſecundarum cauſſarum miniſterio.

Deinde hoc conceſſo, facile ſequelam elicerem abſurdam

abſurdam & prodigioſam: violare nempe tertium Decalogi præceptum, ſi quis vel pilos in tonſtrina excuſſerit, vel arboribus folia in Autumno. Nam quód pili aut folia hoc vel illo ordine aut modo cadant, id fortuitum eſt, nec noſtri arbitrii. Si igitur ad immediatam Dei potentiam recurrendum ſit; annon impie nos fecerimus, ſic temere, ſic in re levi abutendo? Hoc ſolo argumento ſunt qui Aleæ ludum damnant; dum aiunt ad Sortitionem, cujuſmodi Aleam eſſe volunt, requiri ſpecialem Dei manum, eamq; in re levi, & cum opus non fuerit, a nullo abutendam.

Sed, vt Alea pleraque fortuita, ita quoq; Aleæ jactus gubernatur a cauſſis, ut dixi, ſecundis & ordinarijs. Si quæras, quare hoc jactu Venus cecidit, illo Canis; Nimirum luſor hac vice teſſellam alio latere arripuit, aliter manu condidit, aliter intus agitavit, alio impetu animi manuſve projecit, aliter interflavit aura, alio alvei loco impegit. Nihil hic eſt, quod ſua cauſſa caruerit; ſi quis iſta ſubtilia poſſet conſectari.

Sed iſtis pro inſtituto meo ſatis datum; jam, quem præcipuum ſpectavi ſermonis hujus fructum, tria hinc depromam, quæ cauſſam meam ſatis ſuperq; probent argumenta; eaque, ne prolixior ſim, unico Syllogiſmo colligam hoc modo.

Id, quo Dei oraculum non conſulitur, neque Numinis invocatione perficitur, neq; ſpeciali Dei providentia gubernatur, non eſt Sortitio.

Ejuſmodi autem eſt Alea. Ergo.

Major, vt vides, triplex eſt; vnde ex triplici argumento

gumento conſtat Syllogiſmus. Quod autem prius poſui de oraculo, quid probando laborem? Luſores ipſos teſtor, quibus animus non eſt, nec voluntas Deum conſulendi. Poſterius, de ſpeciali Dei manu, nuper eſt cum probaverim. Quod medio interpoſui loco, de Jnvocatione Numinis, id, fortaſſe erunt, qui ſuggillabunt; quod ſæpe inter ludendum audiant Sanctiſſimo Dei nomine totas perſonare popinas. Quis neſcit, inquiunt, uam ſunt Aleatores votorum, imo & dirarum pleni? Verum quidem hoc eſt, fateor, & doleo verum: ſed quicquid tandem hi faciunt, impie quidem faciunt, non tamen ex Aleæ natura. Deinde nec eadem eſt invocatio iſta ei, quæ in Sortibus fit. Nam, qui Sortes miſſuri Deum invocant, ad Dei arbitrium provocant? vt is pro libitu ſuo faciat, & quo velit modo pro ſapientia ſua diſponat. At vero luſor non ſinit eſſe Deo liberum, vt faciat quod velit: ſed certum quid petit, neq; alterutri, ſed ſibi ſoli victoriam & jactum felicem: cujus voti ſi compos factus non fuerit, providentiam divinam diris execrationibus proſcindit.

Ex his igitur patet, tantum abeſſe, vt Alea ſit Sortitio, vt neq; quæ vulgo vſurpantur, & dicuntur Sortes, ſint veræ Sortes, ſed tantum ὁμονύμως & ἀναλόγως dictæ: nec enim prævijs ad Deum fiunt precibus, neque ex ſpeciali Dei providentia pendent, ſed ex fortuito communi. Ita non quævis Immerſio eſt Baptiſmus, nec quævis porrectio aut comeſtio panis, Sacramentum Euchariſticum, ſed tantum quæ juſta habuerint Sacramentorum requiſita. FRAG-

FRAGMENTA SACRA.

APoc. c. 4. Eν *μέσῳ* τȣ̃ θρόνȣ, κὴ κύκλῳ τȣ̃ θρόνȣ, non *per* ἐν διὰ δυοῖν, ſed καὶὰ πολλὰ intellige. Sella enim cui Deus inſidebat (*Ezek.*) abſque dubio quatuor animalibus geſtata fuit, quorum ſingula, poſterioibus intro latentibus in ὁμοιαδῆ ſibi in Circuitu Throni animalia ora ſua obverterunt. Quemadmodum apud *Ezek.* Divinum numen legimus Cherubinis, quadruplici eorundem animalium vultu conſpicuis, ſubvectum fuiſſe. Atq; hoc eſt quod *Johannes* de Throno *Apocal.* refert, non ſolum in Throni Circuitu, ſed etiam in medio Throni 4 iſta animalia conſpecta ſibi fuiſſe.

1. Quærean כריב *Ezek.* 10.4. Significet bovem, a Chaldaico, Syriacoq; כרב, Aravit.

Jer. 31: 32. Nullam adhuc cauſſam video, cur in *V. T*, non æque admittatur varia lectio, ac in Novo. Aut cur vbi Apoſt. & Evang. lectionem quam ſecuti ſunt *lxx.* (nam aliter eos alicubi legiſſe, quam nos hodie, non eſt dubitandum) calculo ſuo comprobaſſe videantur; illos duces ſequi perinde tutum non eſſet, ac Maſorethas. Ut ſiquis ex Gr. ויהי יראתם *Iſ:* 29. 13. Legendum cenſeat ותהי יראתם καὶ *μάτην σέβονταί με,*

Ex

Ex *Mat.* 15. Aut pro נעלתי בם *Jer.* 31. 32. בם נעלבי *i. e.* ἠμέλησα ἀυτῶν (ſeu ἐβδέλυξα) juxta allegationem Apoſtoli ad Heb.*c.*8,9. aut pro פרים שפתינו *Hoſ.*14. 3. (Sublata anomalia Conſtructionis) משפתינו פרי καρπὸν χειλέων ἡμῶν. Ex *c.* 13. *v.* 15. ejuſdem Epiſtolæ, non video, inquam, cur in Scriptura Sacrilegus audire mereretur, qui ſic ex ipſa Scriptura ſacra de meliore ejus lectione pronunciaverit. Cum præſertim S.Spiritum alicubi obſervare eſt criſim manifeſtius exercentem, aliamq; a recepta lectione præferentem, etiam ubi lxx. verſioni cum hodiernis exemplaribus hebraicis ad amuſſim convenit. Locus eſt *Matth.* 27. Commate 10. Καὶ ἔλαβον τὰ 30. ἀργύρια (τὴν τιμὴν τῦ τετιμημένυ, ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ) ϗ ἔδωκα ἀυτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν τῦ κεραμέως, καθὰ συνέταξέ μοι κύριος. Aut enim nimium fallor, aut ev^a. hoc loco apud prophetam, in Hebræo legendum innuit כרת יהיה pro eo quod in noſtris codicibus eſt בבית יהיה Quorſum enim alioquin ita textum clauderet, καθὰ συνέταξέ μοι κύριος, et interim nullam τῦ οἴκυ τῦ κυρίυ mentionem faceret ? Imo vero ſuſpicari quis poſſet, etiam S. Spiritum. 3. iſta prophetæ capita, 9, 10, 11. genuino ſuo autori vindicare voluiſſe. Pluſcula enim in ijs ſunt, quæ ſi quis attente conſideret, non tam *Zachariæ* ætati convenire videantur, quam *Jeremiæ*. Sed quoniam forſan a *Zachar.* poſt captivit. reperta, ejuſque teſtimonio & fide primum Eccleſiæ commen-

data : inde factum ut prophetiæ ejus adjungerentur.

Pro variis lectionibus in Veteri Teſtamento.

Conferatur hymnus Davidis noviſſimus, 2 *Sam.* 22. cum eodem, *Pſal.* 18. Hiſtoria excidij Hieroſ. 2 *Reg.* a *v.* 88. Capitis 24 ad finem *Cap.* 25. Cum eadem hiſtoria, *Jer.* 52. Legatio Merod. Baladan, 2 *Reg.* 20. com. 12, 13, &c. Cum eadem *Iſa.* 39. 2 *Sam* 21. 19. Cum 1 Paralip. 20. 5.

Jer. 27. 1. *Jehoiakim* pro *Zedekia*, vid. *v.* 3. 12. 20. & 28. 1. Non eſt probabile *Zeedkiam* etiam nominatum fuiſſe *Jehoiakim*; cum ambo eſſent filij *Joſiæ*, qui non ſic confundret nomina filiorum. Confer. 1 *Reg.* 25. 3. 27. *Jer.* 52. 6. 31.

Matth. *Cap.* 23. 38. *Behold your houſe*, (*i. e.* Templum) is, *&c.* Hinc de regno *Meſſiæ* appropinquante ſomniantes, ideoq; verba illa multum mirantes, occaſionem repetendi & explicandi Chriſto dederunt, *Cap.* 24. 1. quod facit de excidio Templi, *v.* 2. Hinc illi quærunt, *when ſhall theſe things be? and what ſhall be the ſigne of thy coming, and of the end of the world?* Ubi quærunt. 1. Quando, & quibus ſignis præcedentibus, Templum deſtrueretur, & ſic Reſpub. Judaica evertetur?

2. Quod, & quibus ſignis præced. ipſe veniet glorioſe regnaturus, & Eccleſiam ulturus. Conſidera autem utrum hæc verba συντελείας τῶν αἰώνων ſignificent (ſicut poſſunt) impletionem temporum Gentilium, vel fines mundi. Ad primam quæſtionem reſpondet uſq; ad *v.* 23. Signa erunt rumores bellorum (cum tunc totum imperium Romanum fuerit pacatum) fames. Peſtes,

terræ

terræ motus, *v.* 6, 7. 2. Perſecutio Chriſtianorum 9, 10. 3. Pſeudoprophetæ, 11. 4. Refrigeratio amoris in multis, propter abundantiam iniquitatis, 12. 5. Prædicatio Evangelii ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ *i. e.* in Toto imperio Romano (Deus enim noluit Judæos rejicere, donec Eccleſiam e gentibus collegerat, *Rom.* 11. 15.) *v.* 14. 6. Ultimum ſignum eſt abominatio deſolationis, ſtans in loco ſancto (ſicut *Lucas* 21. 20. qui ſolet loca obſcuriora in *Matt.* & *Marco* explicare) exercitus hominum Judæis abominabilium Jeruſalem circundans, & eam miſerrime deſolaturus, *v.* 15. Ceſtius autem Gallus, Judæis quibuſdam rebellantibus, obſeſſum Hieroſolymam miſſus, cum facile potuiſſet capere, quia rebelles pauci erant, & reliqui pacis cupidi deditionem offerebant, nihil tamen attentans receſſit: Et quamvis Judæi, eum divinitus territum fugiſſe rati, perſecuti ſint, & exercitum fugaverint, non tamen reverſus eſt, ſed re infecta abjit. Tunc ergo Chriſtiani juxta Chriſti conſilium, *v.* 16, 17, 18. Pellam, in montanis *Arabiæ*, fugerunt, *v.* 20. *Neither on the Sabbath day*; non quod Sabbato Judaico aſtricti eſſent, aut ſi fuiſſent, non licuiſſet eo die ab imminenti periculo ſeſe ſubducere; ſed quia reliquis omnibus eo die quieſcentibus, facile obſervata fuiſſet eorum fuga, & impedita. Excidij horribilitas deſcribitur, 21, 22. ubi etiam loquitur de continuatione excidij, *v.* 22. *And except thoſe days ſhould,* &c. *i. e.* Niſi magnitudo calamitatis mitigaretur (ſic enim abbreviari heb. quandoq; ſignificat mitigari) vel niſi abbre-

 viaretur

viaretur ſumma dierum in quibus Judæi paſſim per ludibrium trucidabantur,beſtijs projicieban-tur, *&c.* tota gens Judaica perjiſſet) ſed gratia e-lecti ſeminis in lumbis eorum poſt tempora genti-um vocandi mitigabitur calamitas, vel abbrevia-bitur ſumma dierum tantæ calamitatis.

Signa adventus Chriſti. 1. Pſeudo-Chriſti ex occaſione prophetiæ, *Gen.* 49. 10. Talis *Bencho-zab*; & pſeudo-prophetæ magna edentes ſigna & miracula; ut *Moſes Cretenſis i e.* Diabolus (ut vi-detur) in ſpecie humana, qui pollicitus Judæos per mare ex Creta in Judæam ducere, mare ingreſ-ſus eſt, ubi ſequentes, ſi naves pleroſq; non ſer-vaſſent,plurimi perjiſſent. *V.* 23. 4, 5, 6. *Verſ.* 27. *For as the lightning*--Meus ad ultionem eccleſiæ adventus erit omnibus terræ incolis maxime con-ſpicuus. 2. Jam ad finem perducta Judæorum inter gentes tribulatione, ſol obſcurabitur, &c. *v.* 29. (vid. *Iſa:* 24.23.) quod Lucas latius explicat, 21. 26. Forſan intelligit ruinam principatuum, *&c.* 25, *v.* 30. *And then ſhall appeare the ſigne*, Mar. 13. 26. *The ſonne of man*, ſic *Luc.* 21. 27. *Mat. v.* 30. *In the clouds of heaven*, Marc. *ver.* 26. *In the clouds*, Luc. *v.* 28. *In a cloud*, vid. *Dan.*7.13.14. *Rev.*1.7. 2 *Chr.* 6. 1. Sic in deſerto, *Luc. v.* 28. *And when theſe things begin to come to paſſe, then looke*--vos Ju-dæi, *and lift up*---Mat. *v.* 31. *He ſhall ſend his An-gels with a great ſound of a Trumpet* (The Jews have a tradition out of *Iſa.* 27. 13. *That at the coming of the Meſſiah, Michael ſhould blow a great horne*; *at the ſounding whereof they ſhall goe to Canaan*) *and gather together his elect. i. e.* Judæos, *v.* 33. *It is neer.* Sic

Marc.

Marc. v. 29. *Luc. v.* 31. *Know that the Kingdome of God is at hand, i.e.* regnum filij venientis ultum eccleſiam, *v.* 34. Occupatio. Num fieri poteſt,ut in tam diuturna calamitate Gens Iſraelitarum ſuperſtes maneat? Reſp. 34. ubi, ut *Matth.* 23. 36. & alibi γενεὰ gentem ſignificat: quæ quidem prior eſt ſignificatio,& uſitatior apud autores, quam illa generationis. Huic objectioni ſimiliter fere occurritur, *Jer.* 31. *v.* 35, 36. *Obj.* At ſi non deſinant eſſe gens,miſericordiam tamen non tam obſtinate impij non conſequentur? Reſp. *Jer.* 31. 37.

Si συντέλεια τῶν αἰώνων finem mundi denotet, & ſic tertiam quæſtionem efficiat, huic Chriſtus reſpondet, *v.* 36. Sed forſan omnia ad 25. 31. ad 2. quæſtionem referri poſſunt; et inſerviunt excitandæ ſollicitudini in omnibus (*Marc.* 13. 37.) ut evitemus plagas a Chriſto hoſtibus infligendas, & ſtemus coram ipſo.

Luc. 17. 20. *Not with obſervation (or outward ſhew) v.* 21. *is within you, i.e.* regnum animarum.

Poſtea diſcipulis explicat modum adventus ſui ad ulciſcendum Eccleſiam, *v.* 24. & modum ulciſcendi. Irenæus putat Antichriſtum diluvio ignis perditum iri (vid. 2 *Theſ.* 2. 8.) Subitanea erit hæc perditio,ut veteris mundi, & Sodomæ, *ver.* 26. ad 34. *Verſ.* 31. *Let not him on the houſe top*, &c. quæ verba videntur innuere mentionem hic fieri, non ultimi Judicij, ſed adventus Chriſti ad vltionem eccleſiæ: Cum enim tota terra conflagrabit, imo cæli & terræ machina diſſolvetur, & homines in nictu oculi tranſmutabuntur ad clangorem tubæ, quor-

comes (ultum eos) *ſhall he finde faith on the Earth ? i. e.* Nunquis credet prius quam viderit ?

Irenæus. Dominium in eccleſiam Evangelicam ſic κατ' οἰκονομίαν dividitur, ut a Baptiſta ad τὰ χίλια ἔτη regnet 1. Spiritus, 2. Inde ad Diem judicij finitum Filins; qui tunc regnum patri in æternum tradet. 1. Regnum Spiritus deſignari videtur, *Matt.* 11. 12. *Luc.* 16. 16. quæ loca, duriuſcule reddita ab interpretibus, videntur genuinum hunc ſenſum continere, *i. e.* Regnum cœlorum a prima ejus prædictione Βιαστικὸν eſſe, utpote violentiæ Judæorum, & inter Gentes præcipue draconis & Antichriſti expoſitum, donec impleta fuerint tempora Gentium. In quo tempore Spiritus multa lenitate hoſtes προσφορῶν, admirabilem vim ſuam exeret in eccleſia, e mundi fæcibus colligenda, & adverſus tantas calamitates ſuſtentanda. 2. Regnante filio, omnes quos inveniet eccleſiæ hoſtes funditus delebuntur, Martyres, ſaltem inſigniores, reſurgent, & hic cum eo 1000. annos regnabunt, *Rev.* 20. 4, 5, 6. *Luc.* 18. 29, 30. Et cum poſt 1000. annos diabolus e carcere ad paululum temporis emiſſus, Gogum & Magogum (qui non videntur eſſe prorſus ijdem cum Gogo & Magogo, *Ezek.* 38. Ubi Gog perſonam notat, & Magog certam gentem, unde ortus veniet, *v.* 2. ſed impij ex omnibus totius orbis gentibus, *Rev.* 20. 8.) contra ſanctos congregaverit, igne cœleſti funditus peribunt, & ſtatim judicabuntur vivi & mortui, *Rev.* 20. Inſerviet hoc regnum filij ampliandis hominibus, & præparandis ad regni paterni

Celibatum 38. Una cum vero Deo etiam in templis colet Mahuzzimos. מעזן Cum ad perſonam refertur,ſignificat adjutorem. Sic *Dan.* 11. ὑπερασπιστής, & Βοηθὸς ſæpe in pſalmis redditur a 70. *Baſil.* dicit Martyres eſſe πύργους συνχεῦς. In voce לאליה juxta uſitatem tranſlationem violatur Syntaxis.

1 *Tim.* 4. 1. Apoſtolus prædicit, Idolat. Pp. Cap. juxta ſectionem græcam incipere debet *c.* 3. *v.* 16. Eſt enim diſcretum ax. q. d. Manifeſtum nunc eſt pietatis myſterium *&c.* attamen Spiritus diſerte loquitur, *&c.* Tranſlatio : *But the ſpirit ſpeaks expreſly, that in the latter times ſome ſhall depart from the faith, giving heed to erroneous Doctrines, even Doctrines of Dæmons, through the hypocriſie of Lyars,* &c. Ratio cur hic loquatur de idol. 1. in oppoſitione ad magnum myſterium pietatis oportet Apoſtolum recenſere non circumſtantialia quædam, 1. prohibitionem conjugij & ciborum, ſed etiam præcipuum caput Apoſtaſiæ *i. e.* Idololatriam. 2. Syntaxis non patitur ordinariam tranſlationem. Híc ergo habemus, 1. Apoſtaſiam, in ejus natura generatim ἀποστήσονται, προσέχοντες ſpeciatem καὶ (hic ἐξηγητ.) διδασκαλ. δαιμ : in media ejus, ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων. 2. Notas 2. autorum apoſtaſiæ, prohibitionem conjugij, ciborum.

Scholia. Spiritus ῥητῶς λέγει, (i.e. *Dan.* 11.38. ut ſupra) ἐν ὑστέροις. *The Jewes accounting the duration of the foure Monarchies the foure times of the*

world, accompt the times of the Meſſiah falling in the laſt Monarchy, and making an end of it the laſt times. But St. Paul *finds out the latter part of the laſt times* (ἐν ὑστέροις καιροῖς) i. e. *the time of the laſt horn,* Dan. 7. 25. *A time, times, and dividing of a time,* Dan. 12. 7. 42. *moneths,* 1260. *dayes.* Πνεύμασι πλάνοις *i. e.* Doctrinis erroneis, 1 *Joh.* 4. 1. διδασκαλίαις δαιμονίων, *i. e.* De dæmonibus, ſive Mahuzzimis una cum vero Deo colendis. *Verſ.* 2. ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, *i. e.* per hypocriſin Monachorum qui per notoria mendacia miniſtri erunt introducendi cultum Martyrum. *Ver.* 3. κωλυόντων γαμεῖν. Sic *Dan.* 11. 37. Non curabit deſideria mulierum. Cælibatus a *Rege*, i. e. Papatu conſtitutus, a monachis ortus eſt.

1 *Cor.* 8. 5. Sunt qui vocantur (ab Ethnicis) dij (in ſenſu generaliori) tum θεοὶ ἐπουράνιοι (quibuſcum dicunt nullum homines immediate communionem habere) tum ἐπιχθόνιοι (*i. e.* Mortui Heroes, quos ſtatuunt mediatores:) ſicut ſunt (nempe ijs) multi dij (*i. e.* Cæleſtes in ſenſu ſtrictiore) & πόλλοι κύριοι (*i. e.* mediatores & patroni) nempe δαίμονες: non autem hac voce utitur Apoſt. quia huic mediatorum multitudini oppoſiturus unum Chriſtum. *V.* 6. hunc noluit vocare δαίμονα, *v.* 6. Nobis autem unicus eſt Deus (ſummus citra condeſcenſū perſonæ ſuæ in œconomia ſalutis) pater, a quo ſunt omnia (primario juxta ordinem

ordinem operandi) & unus dominus (Mediator & patronus) Jeſus Chriſtus, δι' οὗ τὰ πάντα (a patre ad nos perferuntur) καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ (cultum patri offerrimus.) Eſt Mediator ἐν τοῖς πρὸς ἡμᾶς, καὶ πρὸς θεόν.

Coloſſ. 2. 18. *Worſhipping of Angells.* Secuti Platonicos, qui putarunt nullum hominibus cum Deo commercium, niſi per mediationem dæmonum. Cum ergo cultus martyrum adhuc non eſſet introductus, metuebat Apoſt. ne Angelorum cultui adhærerent Chriſtiani.

Johannes in Evangelio omiſit prophetiam de excidio Hieroſol. quia priuſquam Evangelium ſcripſit, impleta erat, nec voluit videri ab eventu prophetiam edidiſſe. Sic patres exiſtimant.

In the yeare 1637. it will be as long ſince the deſtruction of Jeruſalem, as from thence to their coming into Canaan under Joſhua.

Si Iſrael accepiſſet Chriſtum, Gentes nondum vocatæ fuiſſent. Gentium præſens eccleſia eſt Iſraël ſurrogatus. Hinc quaſi Septimeſtris partus, vivit quidem, ſed non floret, donec plenum tempus partus advenerit.

Conſidera annon Petrus quodammodo fuerit typus antichriſti. 1. Propenſiſſimus ad Dominium confitendum, fœdiſſime negavit. 2. Solus gladium ſumpſit (confer, *Mat.* 26. 42. cum *Rev.* 13. 9, 10.) & percuſſit Malchum, quod nomen Regem ſignificat. Hujuſmodi alluſionibus Scriptura quandoq; utitur. Chriſtus enim נצר, quia educatus in Nazareth. Rahel lugens filios, *i. e.* Beth-

 lehe-

lehemiticos, ubi erat Sepulchrum ejus.

Paulus forſan præſcius Antichriſtum Petri autoritatem prætenſurum, vix unquam honorificam de illo mentionem facit, ſæpe autem contra. Et ſi Petrus (ut Papiſtæ contendunt) Romæ fuerit, cum Paulus ad Romanos ſcripſit, & tot Epiſtolas Romæ agens ad alias Eccleſias, hæc ratio eſſe poteſt cur nullam ejus mentionem faciat.

The Epiſtles to the ſeven Churches ſeem to be myſticall. For

1. *Why doth he mention only ſeven?*

2. *Why doth he ſingle out thoſe ſeven? whereas there were then more famous Churches.*

3. *He that hath an eare to heare.*

2. *Reg.* 8. 11. Noſtri ſequuntur τὸ קרי, quod prophetam mendacem facit, ut excuſetur Hazael, *v.* 14. Cum juxta כתיב ſenſus ſit, & Eliſha dixit ei, vade, dic, certo non convaleſces: nam oſtendit mihi Jehova quod certo morietur.

Iſa. 9. 3. Male ſequuntur τὸ כתיב (לא pro לו illi, *i. e.* Genti.) Non enim negari gaudium liquet ex verbis proxime ſequentibus. *They joy before thee, according to the joy in harveſt,* &c.

Prov: 16. 4. Omne opus Dei למענהי reſpondenti *i. e.* obtemperanti ipſi: vid. Targ.

In noſtra notione appropinquatio importat aliquantum diſtantiæ, ſed Chaldaice preſentiam; Hinc expone *Luc.* 21. 31. *Rom.* 13. 12. *Revel.* 22. 10.

Impletio cordis in notione hebr. notat andaciam. *Eſth.* 7. 5. (ἐτόλμησε 70.) *Eccleſ.* 8. 11. *Act.* 5. 3.

Prov.

Prov. 1. 17, 18. Continetur protaſis ſimilitudinis (cujus redditio habetur, *v.* 19.) חנם, *v.* 17. reddatur, ſine cauſa, ſeu injuſte, ut *v.* 11. & deleatur vox *Own* quæ bis inſeritur, *v.* 18.

Κεῖμα interdum ſignificat crimen (inde dictum juxta quoſdam) in ordine ad pœnam, quatenus reatum inducit, vid. *Rom.* 5. 16. 1 *Cor.* 11. 29. *Rev.* 17. 1. (Junius, πόρνη τῦ κείματος, *the damned whore*) ſic משפט vid. *Schindl.*

Act. 7. 16. Schema Heb. miſcendo duplicem hiſtoriam brevitatis cauſa. *Abraham* mercatus eſt agrum & ſpeluncam Macpelæ ab Hephrone Chittæo in ſepulchrum, *Gen.* 23. quo delatus eſt *Jacob*, *Gen.* 50. 13. *Jacob* autem mercatus eſt partem agri ab Hamore, *Gen.* 33. 19. Ubi ſepultus eſt Joſephus, *Joſh.* 24. 32.

Pro. 15. 15. Omnes dies afflicti ſunt mali: Et (omnes dies טב לב ſunt juge convivium.

1 *Chron.* 2. 7. זמרי pro זכרי *Joſh.* 7. 1. Nota genealogias, 1 *Chron.* plæraſq; miſere confuſas & diſcerptas eſſe.

Amen dico vobis, Aſſeveratio a ſolo Chriſto uſurpata. Forſan *Amen* eſt nomen, ut ſenſus. Ego qui ſum *Amen*, teſtis ille fidelis & verax, (*Rev.* 3. 14.) dico vobis Syr. Græc. Lat. vocem ipſam retinent, non interpretantur ut noſtri, *Verily.*

Heb. 2. 5. *Whereof we ſpeake*, 1 *C.* 1. 6. quæ verba citantur ex *Pſal.* 97. Cujus titulus apud 70. & vulg. Lat. eſt, Pſalmus Davidis quando reſtituta eſt ei terra ſua; & ſic aptiſſime convenit ſeculo venturo, cum omnia regna mundi fient Chriſti.

Heb.

Heb. 1. 7. *A flame of fire.* Mirum Scripturam de Cometis ſilere. Forſan hoc loco ſignificantur quaſi faces in manibus Angelorum. Sic de ventis.

Magi venerunt ex Arabia. Alij non vocantur בני קדם in Scriptura. Regina Auſtri, reſpectū reliquarum Arabiarum.

Eph. 6. 15. כין ſignificat, & præparavit & ſtabilivit, *vid.* Kircher. *vid.* Ezr. 2. 68. & 3. 3. *Pſal.* 89. 14.

Zach. 5. 11. Hinc ἑτοιμασία Helleniſtice ſignificare poteſt baſin, ſoleam, ſandalum.

Antiquitus ponentes panem & vinum (tanquam huic vitæ ſummopere neceſſaria) in menſa domini, gratias ſolemniter agebant ob creationem, *&c.* (λογικὴ θυσία) poſtea precabantur Deum, ut mitteret ſpiritum, quo elementa illa fierent (commemorative & Sacramentaliter) corpus & ſanguis Chriſti, per quem Euchariſtiam ſeu Sacrificium laudis offerebant; & demum communicabant. vid. *Iren. Juſt. M. Tertull.* Papiſtæ facientes Chriſtum objectum quod Oblationis, ſuſtulerunt & Euchariſtiam & Sacramentum: Noſtri reſtituerunt Sacramentum, ſed non Oblationem. Veteres indifferenter vocarunt Menſam, reſpectu Sacramenti, altare reſpectu Oblationis.

Evangelium ſæpius apud profanos autores præmium boni nuntii. *Tul.* in Ep. 1 *Cor.* 9. 14.

Poderis (Martin. lex.) Tunica Sacerdotalis linea (a *Surpliſſe.*) Hac indutus apparuit ſervator, *Apoc.* 1. 13.

Ex-

Exempla Helleniſmi, ubi Græca vox reſpondens Hebrææ in una ſignificatione, ad alteram ejuſdem, licet non ſecundum idioma Græcum, extenditur אחרית & עקב ſignificant & finem, & mercedem. Hinc τέλος pro mercede ponitur, *Rom.* 6. 21. 1 *Pet.* 1. 9. חיל plærumq; denotat robur, interdum virtutem, *Ruth* 3. 11. Hinc ἀρετὴ pro robore, 2 *Pet.* 1. 3. חטא uſitate deſignat peccatum, aliquando ſacrificium pro peccato, & ſic ἁμαρτία, 2 *Cor.* 5. 21. חמה ſignificat iram, & venenum; hinc θυμὸς pro veneno, *Rev.* 18. 3.

1 *Cor.* 9. 18. Sine interrogatione τὶς μισθὸς *i. e.* aliqua merces.

I appoint you a Kingdome as, &c. διατίθημι, *I covenant.. So Tim.*

Luc. 3. 2. *Of old time there ſeems to have been two high-Prieſts, the one chiefe, the other his aſſiſtant* (Sargan) *to perform the office when the other was ſick, or uncleane*: See 2 *King.* 25. 18.

2 *Theſ.* 2. 4. ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ καθίσαι, vide annon huc alludant hujuſmodi phraſes, προκαθήμενος τῆς χώρας Ῥωμαίων; Tam diu ſedit Epiſcopus; Sedes Apca.

Decimæ Iſraelitarum debebantur Deo; & hic dabat levitis non modo miniſtrantibus, ſed toti tribui, fœminis, liberis emeritis, *&c.*

Judæi 2. modis profanarunt Idola, 1. eorum nomina rebus malis, aut vilibus imponendo. Sic Beelzebub dictus eſt princeps diabolorum, *Matt.* 12. 24.

12. 24. Baal {Reem, *Tonans.* / Peor, *the Lord of a Fart.*}

2. Parva nominis mutatione ad res viliſſimas deflectendo. Sic Beelzebub in Novo T°. dicitur Beelzebub, i.e. dominus ſtercoris. Sic בעל in בושת *Jud.* 6. 32. 2 *Sam.* 11. 21. Iſhboſheth, 2 *Sam.* 2. 8. Eſhbaal, 1 *Chr.* 8. 33.

Nomina ſitus tandum evadunt appellativa. Arabia dicitur קדם non reſpectu Judææ, ſed Egypti. Sic Meridies Aiaman. *So Babylon the North.*

בירה in ſingulari applicata metropoli notat territorium.

1 *Joh.* 2. 1. Et ſæpe παιδία Hebræa inferiorum appellatio. vid. ſupra.

1 *Tim.* 4. 1. πνεύμασι πλάνης *i.e.* idololatriæ. Targ. uſitatè ponit errorem pro idololatria. Sic *Rom.* 1. 27. vid. 2 *Theſ.* 2. 11.

Idolum dicitur peccatum. *Judic.* 6. 1. non peccatores Gentium, publicani & peccatores. *That ſweare by the ſin of Samaria.*

1 *Sam.* 2. 25. כי interdum ſignificat, quanquam. *Schindl.* interdum, ideo, *Pſ.* 116. 2 *Cor.* 4. 13.

Παράκλητος paſſivæ terminationis non ſignificat Conſolatorem, ſed Advocatum. *Beza.* Et quia Advocati apud Græcos & Rom. erant oratores eloquentiſſimi; hinc Judæi, ut in Targo, Doctorem eximium vocarunt Paracletum. Vide annon verba Chriſti, S. Spiritum ſub hoc nomine promittentis, huic notioni faveant, *Joh.* 14 16, 17. 26. & 15. 26. & 16. 7, &c. παράκλησις pro doctrina, 1 *Theſ.* 2. 3.

Phil.

Phil. 4. 5. Incipiat; *The Lord is at hand, be carefull for nothing.* Paralleli *Pſal.* 34. 18. *Jac.* 4. 8. and 5. 9.

Jer. 27. 1. *Jehoiakim* for *Zedekiah*, ſee *verſ.* 3. 12. 20. & 28. 1. *Improbable that Zedekiah ſhould alſo be called Jehoiakim, ſeeing they were both ſonnes to Joſiah, who would not ſo confound the names of his ſonnes.* Confer 1 *Kings* 25. 3. 27. *Jer.* 52. 6. 31.

Some differences between the Samaritan; and ordinary Hebrew Bible.

Gen. 4. 8. *And Cain ſaid to Abel his brother; let us goe into the field.*

Gen. 11. 32. *And the dayes of Terah were an hundred forty and five yeares.*

Gen. 49. 10. *Untill* שילה (ubi etiam jod, cujus character eſt E, non adeo facile omitti potuit a ſcriba) *i. e.* Pacificator, Redemptor, come, *and the people be gathered unto him*, vid. *Mat.* 24 14.

Exod. 12. 40. *Now the Jojourning of the children of Iſrael and their Fathers, who dwelt in Ægypt and in Canaan, was* 430. *yeares.*

Loca quæ paraphr: Chaldaica interpretatur de Chriſto expreſſa nomine משיחא.

GEn. 49. Donec veniat Meſſiah. Hebr. שילה

Numb. 24. 17. Surget (vel conſtituetur) Meſſias ex Iſrael, Heb. שבט præceſſit, orietur ſtella ex Jacob; ἀνατελεῖ ἄστρον, &c. *Pſal.* 45. 27. — ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς

Iſa. 9. 6. Parvulus natus eſt nobis, & vocabitur nomen ejus, Meſſias, princeps pacis.

11. 1. Egredietur virga de radice Jeſſe, & Meſſias (Heb. נצר) ex filijs filiorum ejus. — ῥίζα, γένος.

4. 2. In die illa exit Meſſias צמח Domini in jucunditatem, 70. θεὸς.

42. 1. Ecce ſervus meus *Meſſias.*

Jer. 23. 5. Et ſuſcitabo Davidi צמח juſtitiæ Targum Meſſiam, 70. ἀνατολὴν δικαίαν. — ἀστὴρ ὀρθεινὸς. Ανατολή.

33. 15. Et in tempore illo producam Davidi germen Juſtitiæ. Targ. משיחא

Mic. 5. 2. Ex te coram me egredietur משיחא.

Zac. 3. 8. Ecce ego adduco ſervum meum Meſſiam, Heb. צמח 70. δοῦλόν μου ἀνατολήν. — ἀστὴρ ὀρθεινὸς.

6. 9. *Meſſiah* nomen ejus. Heb. צמח 70. ἀνατολὴ ὄνομα αὐτῷ. — ἀνατολή.

Mic. 4. 8. Et tu, turris gregis, Targ. משיחא vid. *Apocal.* 22. 16. *Luc.* 1, 78.

יהוה

Videan ſicut, *Exod.* 6. 3. Nomen Jehovæ tum demum notum eſſe cœpit, cum Deus populum ſuum adducturus eſſet in terram Canaan, ita nunc promiſſa ipſius in vocationem Judæorum & Gentium non longe abſint ab impletione, cum nomen יהוה deſuetudine in prioribus eccleſiæ temporibus ignotum, nunc renovetur; & Deus eo nomine coli inceperit: vide annon huc faciat locus, *Iſa.* 59. 19. citatus ab Apoſtolo, *Rom.* 11. Et loco horum verborum videntur illa poni de temporum gentium impletione.

Cum Angeli præficiantur rebus & negotijs humanis, vide an Angeli toties nominati in Apoc. ubi agitur de ruina beſtiæ, non poſſint proprie intelligi, licet homines iſtam conficiant.

Tranſlatio nominum propriorum olim frequens, *Gen.* 31. 47. *Daniel* ſic dictus *Belteſhazzer*, *Eliakim*, *Jehoiakim*. Hinc forſan tanta de nominibus regum Aſſyriorum, *&c.* differentia, quod 4. Gentes, Aſſyrij, Babyl. Perſæ, Aramitæ, habitantes prope Euphratem, nomen ejus regis varie accomodarunt ſuæ linguæ.

De finis propinquitate non loquuntur Apoſt. niſi ſcribentes ad Judæos, unde loquuntur de fine Judæorum politiæ, & Ceremoniarum. 1. Eventus indicat non locutos eſſe de fine mundi (nam Deum pia fraude Apoſtolos hic fefelliſſe abſurdum eſt Baronij Commentum) 2. Apoſtolorum ſcientium 70. Septimanas ad exitum feſtinare, &

 viden-

videntium ſigna quæ Chriſtus prædixerat eveniſſe (nam *Petrus* & *Paulus* occiſi dicuntur anno ante excidium) erat Judæos ſedulo monere, ſicut Chriſtus multo ante: at hoc nuſquam factum legimus, niſi fiat his in locis. 3. Quomodo *Paulus* in Epiſtola ad Hebr. loqui potuit de fine mundi ut propinquo, qui novit tollendum eſſe Rom. imperium, venturam in poſterioribus temporibus Apoſtaſiam, convertendos eſſe omnes Iſraelitas, implenda eſſe tempora Gentium, *&c?* Errorem ex his locis inter Gentes ortum confutat, 2 *Theſ.* 2.

4. Vid. parab. *Luc.* 18.7. Obj. 1 *Cor.* 7. 29. Reſp. *In the Greeke tis otherwiſe pointed, then in our Engliſh, and may fitly be read thus. The time that remains* (i. e. *till the great perſecution foretold by Chriſt*) *is contracted: Let them go,* &c. *For the faſhion of this world,* παράγει i. e. *cozens men, drawing them to ſuch things as they ſee done by others.*

Ordo menſium Macedonicorum, ſeu Syro-græcorum ab Autumno. 1. *Hyperberetæus.* 2. *Dius.* 3. *Apellæus.* 4. *Audinæus.* 5. *Peritius.* 6. *Dyſtrus.* 7. *Xanthicus.* 8. *Artemiſius.* 9. *Dæſius.* 10. *Panemus.* 11. *Loos.* 12. *Gorpiæus.*

Anni Græcorum, ſive Seleucidarum, quibus autor 1. *lib. Maccab.* utitur, ineunt a vere, *i. e.* a Menſe Xanthico. Anni Alexandræi quibus utitur author 2. *libri Maccab.* inierunt ab Autumno ſequente *i. e.* ab Hyperberetæo. Quare cum 2 *Mac.* 11. Dicitur Antiochum mortuum, anno 148. in 1º a *Maccab.* 6. *c. v.* 16. *anno* 149. neceſſe eſt eum menſe

menſe Xanthico ineunte mortem objiſſe, cum citius non potuerit (nondum enim annus Græcorum 149. a vere incepiſſet, nec ſerius cum 150. Xanthici filius jam ei ſucceſſiſſet.

Chriſtus natus eſt menſe 7^{bri} circa feſtum Tabernaculorum. *Joh.* 1. 14. ἐσκήνωσεν, &c. *Zac.* 14. 16, 17, 18, 19. Feſtum hoc neglectum fuerat a tempore Joſhuæ uſq; ad regreſſum e captivitate. *Nehem.* 8. 17. (quod malo omine notare potuit Chriſtum natum non agnoſcendum iſti populo ante reductionem e longa captivitate) ſic fors verum tempus nativitatis uſq; ad converſionem Judæorum.

Τελείω initiari, conſecrare, *Heb.* 2. 10.

Act. 2. 42. Erant perſeverantes in audienda doctrina Apoſtolorum & communione; *viz.* (& exeget.) fractione panis & precibus. vid. *M.* in *Mal.* 1. 11. *p.* 14.

Heb. 4. 12, 13. Locutus fuerat eouſq; Div. autor de illo Dei decreto, quo ſtatuerit juramento non ingreſſuros rebelles in requiem ejus. Metuendum hoc decretum docetur: Dei enim verbum non intermori, aut revocari, ſed vivere, non vi carere, ſed efficax eſſe ob adjunctam potentiam; non falli ſive in exequendo vel judicando, ob adjunctā ſapientiam, cum nec tam occultum ſit quicquam in homine ad quod non penetret, nec ulla res ſit quæ ejus notitiam fugiat. Nam per Proſop. ex Meton. ortam, tribuuntur quædam Dei decreto, quæ Deo decreta exequenti conveniunt. *Crellius* de vera rel. *p.* 338.

Joh.

Joh. 8. 33. Sic locuti ſunt, quia erant ex Abrahamo, *v.* 33. בני חולים Filii albatorum, ſeu albis veſtibus indutorum, *i. e.* generoſi. 2. quia non erant idololatræ. *verſ.* 41. *Let him hear what the ſpirit ſaith to the Churches.* 4. *There are ſome ſuch ſpeeches are more lofty then can befit any thing in theſe Churches.* 5. *No ſtories relate the full impletion of thoſe Propheſies in thoſe Churches.* Vide ergo annon 7. Eccleſiæ typi ſunt totius eccleſiæ ad finem mundi, juxta 7. diſtinctas periodos. Epheſus primitivæ eccleſiæ, plurima fortiter paſſæ; ſed tandem in amore decreſcentis, unde apoſtaſia, 2 *Theſ.* 2.10. Laodicea, typus eccleſiæ poſt Antichriſti, omniumq; hoſtium interitum ſecuritate tandem diffluentis: Contra quam ſuſcitabitur Gog & Magog.

Rev. 8. 1. *Silence in heaven about the ſpace of halfe an houre* i. e. interregnum in imperio Rom. per 8. dies & dimidium. (Hanc enim proportionem ſervant prophetici anni, menſes, *&c.* In anno prophetico numerantur dies 360. omiſſis quinq;, ſicut patet ex Apocal.) Mortuo enim Joviniano, noluerunt imperatorem creare in Terminalibus, ne omen eſſet imperium habiturum terminum.

Rev. 9. 20. ἵνα μὴ προσκυνήσωσι τὰ δαιμόνια: *This was after the ſixth trumpet*, ergo ἐν ὑςέροις καιροῖς, *upon the ſame ſtage where the reſt were acted*, ergo *within the compaſſe of the Roman Empire, not done by Jewes and Turks, who abhor all images*, ergo *by Chriſtians; not Proteſtants*, ergo *Papiſts.* Δαιμόνια: Judæi norunt dæmonas ab Ethnicis cultos non eſſe ani-

animas defunct. hominum, ſed diabolos, ideoq; hi in Evangelio ſic vocantur. Sed Ethnici autores in bono, vel potius indifferenti ſenſu hanc vocem uſurpant: Et ſic *Paulus* (*Act.* 17. *v.* 18. 22. δεισιδαιμονέςεροι—*yee have Dæmons enough*, 1 *Cor.* 10. 21. ποτήειον δαιμονίων, loquitur de ſacrificjis Gentilium) & ſic Joannes in Apocal.

De Judæorum captivitate & reductione, & hoſtium perditione vid. *Iſa* 24. 1. ad 27. *f.* 24. 21: צבא במרים המרים *Rome.*

Myſterium iniquitatis i. e. Antichriſtianiſmus operabatur quidem in tempore Apoſtolorum, ſed in vigore ſuo revelandum erat, cum tolleretur Rom. imperium, 2 *Theſ.* 2.7. (ſic enim patres exponunt τὸ κατέχον) & reges inciperent in Europa. *R.* 17.

אנשי חיל i. e. Viri militares, *trained ſouldiers*. Sic *Saul.* Νεώτεροι i. e. *People*, 1 *Pet.* 5. 5. correl. πρεσβυτ. *Prov.* Sæpe, *my ſon*, i. e. Diſciple *Iſa* 29. 13. יתהו & eſt pro ותהי ἢ μάτην מלמרה pro מלמרים.

1 *Cor.* 13. 5. ὁ λογίζεται κακὸν, non computat malum *i. e.* injuriam acceptam.

Amos 9. 12. ירש lege ורש, & pro ארם lege אדם & conveniet cum *Act.* 15. 17. ubi Apoſtolus corrigit textum Hebr. & tranſlationem 70. nec tamen ei credunt objicientes Apoſtolos ſphalmata ſcribarum ſiqua eſſent in textu Heb. fuiſſe correcturos. Hic promiſſionem fore, cum convertentur Judæi, Gentiles, ſuper quos invocabitur nomen domini, convenit ſcopo Apoſtoli.

Judæis 7 ſunt Archangeli, Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, *&c.* (ad quam formam Daniel conſtituiſſe videtur regnum Perſicum. *Ezr.* 7. 14. *Eſth.* 7.14.) Horum typi fuerunt 7. lampades, *Ex.* 25. 37. *Zach.* 3. 9. & 4. 10. Ubi periodus incipere debet. *Theſe 7. are the eyes*, Dan. 10. 13. *Tobit* 12. 15. *Rev.* 1. 4. 4, 5. *&* 5, 6. Fors huc ſpectat illud, 1 *Tim.* 5. 21.

Dan. 7. 2?. *Till the thrones were ſet.*

Antiquitus conſecrationi addita fuit execratio *Ezr.* 6. 12. (*ſo in founding our Abbies*) unde חרם ſignificat conſecrationem & anathema.

Ἱερὸν pro magno (auri ſacra fames:) quomodo apud Hebr. Niniveh dicitur urbs dei, Cedri Dei &c.

Proſelytæ { Portæ. / Juſtitiæ.

Priores incircumciſi obſervabant ſolum præcepta Noæ (vid. *Schindl.* in צרה

Talis Naaman, Cornelius, *&c.* Judæis immundi erant, nec regnaturi in adventu Meſſiæ: attamen oblationem mittere potuerant, *&c.* Poſteriores circumciſi ad totius legis obſervationem obligati erant, & Judæis pares. *Act.* 15. Concluſum eſt Gentiles ad Chriſtum converſos fore prioris generis.

Judæi devotiores expectabant vitam æternam per Meſſiam, *Luc.* 2. 25. 38. *&* 23. 51. Alij erant magis Athei. Priores τεταγμένοι illi, *Act.* 13. 48.

Judæi infernum denotabant nomine Gehennæ, & maris mortui, 2 *Pet.* 2. 6. *Jud.* 7. *Rev.* 21. 8.

Arabice,

Arabice,mare mortuum vocatur mare alſphat *i. e.* picis ; unde Aſphaltites.

Act. 3. 19. ὅπως, *That the times of refreſhing may come.* Hæc tempora ſerius aut citius ventura erant,prout Judæorum Gens ſerius aut citius Chriſtum reciperent. Hinc Dan. tempus , tempora, *&c.* Non dies & menſes, ut Johannes, cui ſoli inter Apoſtolos revelata eſt longa captivitas. Chriſtus per mortem meruit ſcientiam temporis refrigerij, *Rev.* 5. 9. Unde adhuc in vivis, *Mar.* 12.32. *The Empire of Rome would faine have ended with Nero; but becauſe of the obſtinacy of the Jewes , was ſpun out, an image of it made,* &c.

Poſtrema capita *Zachariæ* non erant ejus, utpote cujus tempori res contentæ non conveniunt : Unde *Matt.* 27. 9. recte tribuuntur Jeremiæ. Ibi ſumatur ἔλαβον in prima perſona, & in ἔδωκαν deleatur *v.* & ſic (verbis, *the price* ad *value*, ſummam *Zach.* 11. 12. complectentibus parentheſi incluſis) conveniet cum *Zach.* 11. 13. modo legatur כרת pro בית.

Ἐπιούσιος vox 70. ὑπερούσιος abundans ἐπιοῦ : competens. לחם חקי.

Marc. 16. 2. ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου (fors) juſtitiæ *i. e.* Chriſto.

Papa,& aſſeclæ magis intimi deſcendunt vivi in Gehen. *Rev.* 19. 20. *Numb.* 16. 33.

1 *Chr.* 6. 28. Deſunt nonnulla, ſc. Samuel filius ejus ; dein omittitur nomen primogeniti , *i. e.* Joel (1 *Sam.* 8. 2. & *v.* 33. hujus cap.) & ad ſupplementum ושני, & ſecundus fit nomen proprium.

1 *Cor*. 6. 4. Legatur cum interrogatione, ſicut præcedentes,& ſequens,quod etiam facit Caſtellio : & per ἐξουθενημένους ἐν ἐκκλησίᾳ, intell. Ethnicos.

Antiqui pompas,quibus renuntiatur in baptiſmo, non referebant ad mundum, ſed Satanam, [πάσαις ταῖς πομπαῖς σου] intelligentes ludos theatricos in honorem Idolorum celebratos ; cujuſmodi hodie ſunt proceſſiones in honorem ſanctorum.

Marc. 13. 1. ποταποὶ λίθοι. Loquuntur de porticu orientali verſus montem Olivet, quæ ex lapidibus vaſtæ magnitudinis plumbo & ferro conjunctis conſtans, ſola ex omnibus ædificiis templi a Solom. conſtructi manſit poſt captiv. Babyl. vid. *Joſeph. de antiq. Jud. l.* 15. *c.* 14. unde dicitur porticus Solomonis, *Jo.* 10. 23. & alibi.

Hæbræa poeſis rhythmum habuit, non in ſono, niſi fortuito,ſed in ſenſu ; idem vel ſimile, diverſa phraſi reduplicans. Hoc ſi obſervetur, multorum locorum expoſitioni facere præferet.

2 *Chron.* 17.13. Non quod tot milites, ſeu viri militares (ſc. 1160000.) Jeroſol. commorati ſunt (quod vocula [*were*] a tranſlatoribus addita ſignificat) ſed per reduplicationem Hebræis familiarem vox מְלָאכָה negotium militare,& אַנְשֵׁי מִלְחָמָה eodem ſpectant, ut ſenſus ſit eum habuiſſe multos milites,partim Hieroſolymæ, partim in alijs civitatibus Judæ. Quæ diſtributio habetur etiam, *v.* 19. Nam מִלְּבַד non modo ſignificat præter, ſed & præterquam, excepto ; itaq; ſenſus eſt, viros militares prius enumeratos miniſtraſſe Regi Hieroſolymis, exceptis quos diſpoſuit in munitis urbibus Judæ.

2 *Sam.*

2 *Sam.* 21. 19. Mendoſe ſcribitur, uti patet ex
collatione, 1 *Chr.*20.5. pro יעיר eſt יערי, tranſpoſi-
to ר poſteriori 2. ארגים ex fine verſiculi imme-
diate poſtponitur voci יערי nullo ſenſu; 3. בית
הלחמי ſcribitur pro את לחמי 4. אתגלית pro אחי
גלית.

Rom. 8. 15. Nemini licuit Patrem Abba vocare, niſi libero nato, aut facto (*Selden* ex Talmud) Hinc Deus in novo Teſtamento non ſic vocatur, niſi a Chriſto, *Marc.* 14. 36. & a fidelibus hic, *Gal.* 4. 6.

FINIS.

V. 11.